Epla
xxi. Sc xxii. lucā.

B

CALVINVS IVDAIZANS,

Hoc est:


IVDAICÆ GLOSSÆ ET CORRVPTELÆ, QVIBVS

IOHANNES CALVINVS illustrissima Scripturæ sacræ loca & Testimonia, de gloriosa Trinitate, Deitate CHRISTI, & Spiritus sancti, cum primis autem vaticinia Prophetarum de Adventu Messiæ, nativitate eius, passione, resurrectione, ascensione in cœlos & sessione ad dextram Dei, detestandum in modum corrumpere non exhorruit.

Addita est corruptelarum confutatio.

per

ÆGIDIVM HVNNIVM,
Sacræ Theologiæ Doctorem & Professorem in Academia VVitebergensi.



VVITEBERGÆ,
Excudebat Vidua Matthæi VVelaci.
ANNO M. D. XCIII.

DEDICATORIA EPISTOLA.

Cui dono lepidum novum libellum,
Calvini oppositum strophis nefandis?
Paræo tibi, namque tu solebas
Calvini esse aliquid putare nugas.

Mirabere fortasse, mi Paræe, qui fiat, quòd cùm nullus mihi tecum hactenus intercesserit usus aut necessitudo: non dubitârim, tibi haud dubiè in corrigendis Biblijs, asserendisq; Calvinisticarum ineptiarum quisquilijs & offutijs, alijsq; generis & farinæ huius laboribus occupatißimo homini mea hac Epistola dedicatoria, intempestivè forsan, obstrepere. Atque ego sanè, si confieri potuisset ulla ratione, præoptassem & tibi parcere, & me ipsum hoc scribendi labore sublevare. Verùm ut varia nonnunquam incidunt, quæ aliquem suum institutum tenere non sinunt; ita tua in me scripturiendi protervia (ignosce quæso

 voci

voci duriori) mihi quandam necessitatem imposuit ad tuas criminationes & maledicta respondendi.

Lecta enim mihi est præfatio tua, præfatio, inquam, aurea illa, quam parti explicationum Catecheticarum Zachariæ Vrsini Silesii, Sympatriotæ tui, quartæ præfigendam esse putasti. In ea tu me ob præfationem in tractatum meum de Trinitate annumeras his, qui συκοφαντικὰς scriptiones evulgent, meq́ praeter meritum accusas, quòd Calvino Arianismi crimen impegerim. At tu fortè præ sacris laboribus tuis emendationis Bibliorum, ad epilogum præfationis meæ legendo pervenire non potuisti, ubi sic scribo:
,, *Non accuso Calvinum Arianismi, si-*
,, *cut Grabius impudenti ore me imme-*
,, *rentem teterrimæ huius hæreseos ac-*
,, *cusavit. Dico autem ansam præberi,*
,, *viam sterni, fenestram aperiri, fun-*
,, *damenta poni Arianæ impietatis, di-*
,, *co quendam parari transitum, tot scri-*
pturæ sacræ testimonijs seu præsidijs

atque

atq; propugnaculis Christianorum concussis & eversis &c. Verum ut ut res habeat, omninò accusationi tuæ, nullo certè mansuetudinis vel charitatis spiritu tinctæ, (ut tu à nobis flagitas) sed atro virulentiæ sale perfusæ, ac venenatis maledicentiæ aculeis infestæ (ut tua tibi verba reponam) visum est præsentem hunc libellum apologeticum opponere, & Ecclesiæ DEI ad oculum demonstrare, me confodiendo Calvini glossas impias, quibus aliquàm multis scripturæ locis æternam Deitatem Christi confirmantibus caliginem Iudaicam offundere non reformidavit, nullam prorsus intulisse iniuriam, sed (proh dolor & pudor) nimis esse verum, quòd scripturas sacras ad suam & aliorum perniciem tetris corruptelis à genuino sensu horribiliter aliò detorserit, ut Petrus de hoc hominum genere loquitur. Et ut tibi (si docilis & sanabilis es) pleniorem huiusce rei fidem faciam: en adiungam plura testimonia, quæ Calvinus

ille, tuus (non meus) πρόμαχος, ad perfidiam Iudaicæ infidelitatis, Arianæq; impietatis retundenda strophis suis hebetavit, inutiliaq; reddidit. Et ne quid ad plenissimam tantæ rei probationem deesse videatur: libet eas insuper addere corruptelas, quibus illustrissima vaticinia Prophetarum de Messia Iudaicis perversionibus involvit, & non modò Scriptorum Ecclesiasticorum veterum & recentium pias interpretationes altissimè despexit & irrisit, sed in nonnullis ipsorummet Evangelistarum Apostolorumq; sacrosanctas explicationes nequiter eludere non est reveritus. Quod ni ad oculum demõstravero, præcipuè ubi ad illa quæ dixi, vaticinia prophetarũ devenero: nolim ego mihi ulla unquã in re posthac fidem adhiberi. Cæterùm ut ordinem quendam teneamus: primò ea producemus scripturæ sacræ testimonia, quæ explicationem summorum capitum doctrinæ cœlestis de Deo uno & trino, deq; Deitate æterna Christi et Spiri-

Spiritus sancti continent: visuri, quomodo hæc strópharum suarum spinis intricaverit Calvinus. Dehinc examinabimus sanctorum Prophetarum oracula de Messia: quo pacto hæc in fraudem Christianæ religionis adulterârit, ut omnem ad probandum vim atq; valorem amittant penitus, quamdiu glossemata illa putantur esse vero consentatea.

CAPVT PRIVS.

D*Vo autem sibi sumpsit Paræus diluenda crimina (ut ipse appellitat) ex quibus cætera iudicari posse homo rerum istarum rudis & imperitus autumat. Quorum prius ex voce Elohim Gen. 1. Posterius ex sermone matris nostræ Evæ petitur. Hæc duo, quia maximè idonea putavit, quæ quoquo modo eluderentur, ex illo cumulo & acervo præ reliquis attingere voluit; cætera quàm sicco pede suspensoq; gradu præterit? quàm nihil habet, quod vel ad*

ſpeciem ſaltem excipiat, excuſet, aut reſpondeat?

Age verò, mi Paree, retexamus initio ea, quæ tibi viſum eſt ſub tuæ Præfationis incudem revocare. Ad Trinitatis arcanum contra perfidos eius hoſtes Iudæos pertinere cenſent Chriſtiani ſcriptores, ipſum Dei nomen Elohim, Dij, plurali numero non obſcurè, nec ſine ratione poſitum, quando Moſes in veſtibulo ſuæ propheticæ ſcriptionis ait: Creavit Dij; idemq́ dehinc in omni ſcriptura frequentiſſimè repetitur. Quod pij interpretes, priſci pariter ac neoterici, ſymbolum myſterij adorandæ Trinitatis eſſe confirmant, ut verbum quidem ſingularis numeri eſſentiæ unitatem, nomen autem numeri pluralis perſonarum in Deo pluralitatem oſtendat. Nec ſanè, cur de Deo loquantur ſacræ literæ vocabulo iſto pluralis numeri, cauſa ulla facilè dari poteſt, præter hanc de qua loquimur perſonarum in ſacra Triade pluralitatem, præſertim cum nomen illud aliàs

aliàs ſingulari numero non deſtituatur, ut in plurali ex defectu ſingularis numeri, poni neceſſe ſit. Ipſum namq; thema אֱלוֹהַּ *legitur expreſſum Pſalmo 114. Hoc adverſus reprobam gentem infidelium Iudæorum utiliter iuxta & tempeſtivè monent Chriſtianæ Eccleſiæ Scriptores, ut eos ex ipſa ea lingua convincant, cuius cognitione maximè adverſum nos ſuperbiunt.*

Quid verò Calvinus? eximius ille (ſi Dijs placet) ſervus Dei, ut ipſum Paræus vocitat? Is ex transmarinæ ſuæ ſapientiæ tripode ſententiam contra nos pro Iudæis pronuncians, ita ſuper Prophetæ Moſis verba commentatur: Habetur apud Moſen אֱלֹהִים nomen pluralis numeri: unde colligere ſolent, hic in Deo notari tres perſonas. Sed quia parum ſolida MIHI videtur tantæ rei probatio, ego in voce non inſiſtam. Quin potius monendi ſunt lectores, ut ſibi à VIOLENTIS eiuſmodi gloſsis caveant. *Quid*

verò? Num hæ violentæ glossæ sunt, quas ipse textus Mosaicus ostendit esse genuinas? Equidem quinam sint illi Elohim, Moses ipse declarat, dum Deum patrem, eiusq́; λόγον, per quem creat omnia, & Spiritum sanctum, creatæ moli aqueæ virtute sua incubantem, rerum omnium opificem introducit. Quòd si nobis, ô Paræe, minus fidem habes, vade & sciscitare ex Zanchio gregali tuo, quem in classem fidelium Dei servorum reponis, cuius liber de tribus Elohim perspicuum dicet testimonium, sitne glossa tàm violenta, si verbum, Elohim, de personis adorandæ Τριάδος exponatur, ut Calvinus ille tuus autumat, ideoq́; servos Christi verè fideles tam odiose carpit & exagitat?

Quod verò nomen illud Elohim, interdum uni singulatim personæ tribuitur, petitur huiusce quoq; rei ratio non aliunde, quàm ex illo beatæ Trinitatis arcano. Pater Elohim dicitur, quia non solitariè Deus est sine filio

Spiri-

piritúq; sancto, sed unà cum his, adeo-
ue in Trinitate Deus est: ita ut vox
Elohim in hoc quoq; personali signifi-
atu respectum mutuum illum plurali-
atemq; divinarum hypostaseων invol-
vat. Vnde fit, ut πρώτως personis simul
unctis, secundariò autem personis sin-
ulis exposito iam sensu atq; modo at-
ribuatur.

Quod subdis, Paree: si tam firmum
& tàm evidens hoc est Trinitatis ar-
umentum, cur Præfator ille (Hunni-
um notat) in tractatu suo de Trinitate
llud primo loco non posuit? CVR TO-
TVM OMISIT? Respondet Hunni-
us: cur tu, Paree, vel præ supina socor-
lia & negligentia non prius tracta-
um ipsum perlustrasti, ut dispiceres,
itnè illud omissum (ut tu fingis) vel
non? Etenim ut tandem aliquando
vigiles, & maiorem posthac in scri-
endo cautionem adhibeas: iubeo te
nspicere paginam primæ editionis 69.
um editionis secundæ paginam 68.
ibi sic legitur: Qu. Proba, quòd in
una

„ *una simplici Deitate plures sint, quam*
„ *una, personæ? Resp. Hoc mysterium*
„ *in veteri & novo Testamento reve-*
„ *lavit Deus. Atque hoc testantur uni-*
„ *versa ea dicta, quibus Deus* אֱלֹהִים*,*
„ *hoc est, Dij in plurali numero nunci-*
patur. Imò post hæc diluuntur in edi-
tione mei Tractatus posteriore, ea quæ
Iudæi contra hoc argumentum nobis
obiectant: solvitur & sophisma Cal-
vini de voce Elohim etiam singulis
personis attributa. Hæc cum lucidissi-
mè posita in meo libello reperiantur, tu
Paræe, nihilominus in scenam orbis
Christiani prodire audes, tam crassis
& spissis commentis, ut scriptites, id
argumentum in meo tractatu totum
esse omissum? O te hominem supinæ
negligentiæ, si non inspecto exemplari
tàm audacter pronuncias: extremæ
verò malitiæ & impudentiæ, si vidisti
à me disertè positũ esse id, quod in meo
libro totum omissum esse per mendaci-
um sexcentos pedes spissum & crassum
fingere non erubescis. Tametsi quic-
qui-

quid hac in re scripsisti errans, in humaniorem illam partem, quæ desidiæ est, interpretari malo, quàm in hanc deteriorem rapere, quæ malitiæ tuæ & enormis impudentiæ foret.

Verùm progredere mecum, & amplius dispice, quàm probè in sequentibus rem administraveris. Obieci & illud, quod mater nostra Eva, suscepto Caino, dixisse memoratur: Possedi virum Iehovam. Ex quo Christiani interpretes coniecturam faciunt, ipsam scivisse, Messiam futurum esse verum Deum. Id verò dixi Calvino displicere, cui sine omni ratione, adeoq; etiam contra Hebraici textus veritatem plus arriserit Dativus (Domino) qui in Hebræo non reperiatur, quàm Accusativus, qui expressè in textu positus non ullum alium sensum gignat, quàm quod Eva (licet in individuo decepta) Messiam, quem se iam putabat in lucem edidisse, iudicarit futurum esse verum Iehovam.

Contra hoc Pareus obtendit quidem

dem versionem 70. Interpretum Thargum item. Sed tantisper nih proficit, quoad demonstret, articulu את voci præpositum esse alterius, quà accusativi notam. Et quod Luthe versionem obtendit, qui anno 45. ve terit: vom HErrn: *à Domino: princ piò respondetur, Paræum ita tracta Divi Lutheri Biblia, ut haud abs dubitem, sitne ei quicquam habe dum fidei, nisi quod oculorum sensi exposuerit. Deinde si credamus ei, u de nos certiores reddet, esse Luthe potiùs verba, quàm præpositionem ge manicam* (vom) *per typographicu* σφάλμα *quod fieri perfacilè potuit, i repsisse? tertiò si testatum fecerit ipsi esse Lutheri, negare tamen non vale bit, penitius inspectis hebræis fontib id esse emendatum. Deniq; aliud qu meminerit esse Paræus, si quis senter tiam aliquã proponat simpliciter, sa vo relicto aliorum iudicio, aliud ve esse, si Calvinus suam, quæ verita hebrææ linguæ consona non est, ita p*

n

nat, ut secus sentientes, & propius ad fontes Hebraeos accedentes carpat & suggillet.

Tertiò dictum & ostensum est in præfatione mea, ex eo, quod Gen. 19. habet Moses: pluit Iehova à Iehova, rectissimè adstruxisse Christianos argumentum probandæ Trinitatis, quod nimirum in Deo plures sint personæ, siquidem expressè Iehova à Iehova, Dominus à Domino pluisse sulphur & ignem asseratur. Dixi & dico, Calvinū hoc abnegando causam agere Iudæorū contra Christianos interpretes, haud aliter ac si à Iudæis hanc ad rem stipendio conductus sit. Ad id respondendum erat, Paree, sed respondes ac dicis nihil. Vt verò illa petulantia Calvini luculentiùs omnibus patescat, repetere huc placet ipsius Iudaicam glossam, quæ sic habet: Quod veteres Christi divinitatem hoc testimonio probare conati sunt, MINIME FIRMVM est, ac SINE CAVSA, meo iudicio, TVMVLTVANTVR.

QVI

QVI ACRIVS IVDÆOS EXAGITANT, quia non admittant tale probationis genus. Fateor quidem, Deum ſemper agere per manum filiĳ ſui, ac tam memorabili vindictæ exemplo filium præfuiſſe non dubito, ſed parum ſolidè ratiocinari DICO, qui plures inde perſonas eliciunt, cum Moſis conſiliũ expreſſè fuerit, lectorum oculos ad ſpectandam Dei manũ erigere & acuere. *Hæc ille. At ipſa emphatica repetitio nominis Iehovæ infallibiliter docet plures notari perſonas, ipſeq́ verborum ſonus (pluit Iehova à Iehova) hoc citra ullam altiorem ratiocinationem ultrò denunciat. Nunquam igitur in æternum excuſari poterit hæc audacia Calvini, qua inſurgit adverſus aſſertores ſacroſanctæ Trinitatis, & ſine cauſa illos adverſus Iudæos tumultuari ſcriptitat.*

Obieci quarto loco, id quod Moſes ſcribit Gen. 35. Iacobum ædificantem altare (non angelis, quibus altaria ne

nec dicantur nec extruuntur, sed Deo) appellasse locum illum Bethel, id est, domum Deî, assignata ratione Etymi sive nominis, quia apparuerint ad illum D I I. Quod evincendæ contra reprobos Iudæos doctrinæ de Trinitate non obscurum testimonium est: præsertim cum non tantum nomen, Elohim, numero plurali sit positum, sed etiam verbum adiunctum (apparuerunt) eodem numero usurpatum reperiatur. Idq; cum Interpretes Christiani eò referant: Calvinus tamen, ut altius sapiat, ab eis palàm dissidet, & de Angelis exponit. Verba eius sunt hæc: Adde, quod Iacob continuum fidei suæ tenorem ostendit, ex quo DEVS se illi manifestare cœperat, quia hoc sibi proponit, quòd Angeli apparuerint. Nam cum pluralis sit verbi numerus, de Angelis libenter interpretor. *Quam Calvini glossam, ut ἀσύστατον textus ipse Sole meridiano clariùs refellit Siquidem negari non potest, Iacobum denominasse locum il-*

lum Bethel, eò quod apparuerint il Elohim. Absurdum autem, referre rationem nominis Bethel (quod domum DEI denotat) ad creaturas, quasi videlicet angelis locum illum sanctificarit, Angelis altare ibi extruxerit, & propter angelos eum locũ domum De vocarit: quod citra idololatriæ crimen facere non potuisset: sed quia necessariò fatendum est, uni soli DEO Iacobo honorem illum esse habitum luculenter apparet, immeritò Calvinum hoc testimonium, probandæ contra Iudæos sacrosanctæ Trinitatis glossa fatili sua enervare.

Quod attinet locum illustrem Psalmi 2. Filius meus es tu, ego hodie genui te: nullo colore vel probabiliter saltem excusari potest impium Caluin glossema, referentis hæc primò & secundum literam ad Dauidem, secundariò verò demum, & sub typi duntaxat ratione ad Christum: idq; contra Sanctorum Apostolorum authenticam exegesin. Etenim de Christo hæc unic

intell.

intelligenda esse, indubius testis & interpres est Paulus Actor. 13. nec non Autor Epistolæ ad Hebræos cap. primo & quinto. Discipuli quoq; primitiuæ Ecclesiæ in Actis Psalmum hunc de Christo unanimiter exponunt, & Davidem ibi prædixisse confirmant uno ore, quomodo adversus sanctum Filium Dei Iesum insurrecturi sint Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israel. Qua ergò, non dicam mente, sed fronte, ausus est Calvinus hæc (Filius meus es Tu, Ego hodie genui te) contra mentem Dàvidis, contraq; Canonicam sanctorum Apostolorum & Apostolicæ Ecclesiæ interpretationem adaptare Davidi? Sic enim Calvinus: Filius meus es. Potuit quidem David regij iuris intuitù censeri Dei Filius, quemadmodum scimus, Principes, eò quòd præ alijs excellant, tàm DEOS, quàm DEI filios vocari. Sed hîc DEVS singulari elogio DAVIDEM ornans, eum non modò supra cunctos morta-

les, sed etiam supra Angelos extollit
Quod prudenter expendit Aposto-
lus ad Hebræos, cap. 1. v. 5. dum ho[c]
nulli unquam Angelo fuisse dictum
admonet. Quamvis enim Angelis in-
ferior esset David, quatenus tamen
gestavit Christi personam, meritò il-
lis longè præfertur. Sciamus ergò
hîc Dei Filium, non unum quempi-
am ex multis, sed unigenitum desi-
gnari, ut solus in cœlo & in terra emi-
neat. Quòd autem DEVS se illum
genuisse pronunciat, referri debet ad
hominum sensum vel noticiam. David
enim genitus à DEO fuit, dum cla-
rè apparuit eius electio. Itaque ad-
verbium (Hodie) tempus illius de-
monstrationis notat: quia postquam
innotuit, creatum divinitus fuisse Re-
gem, prodiit tanquam nuper à Deo
genitus: quia homini privato tantus
honor haberi non poterat. Eadem in
Christo quoque relatio tenenda est.
Non enim genitus dicitur, nisi qua-
tenus Pater filium suũ esse TESTA-
TVS

Apostolus vero, ô Calvine, de Davide negrij quidem illic, sed de solo æterno filio Dei.

TVS EST: Scio, locum hunc de æterna Christi generatione à multis fuisse expositum, qui & in adverbio, Hodiè, ARGVTE philosophati sunt, ac si perpetuum actum extra tempus notaret: Sed huius vaticinij fidelior ac magis idoneus interpres est Paulus, qui Act. cap. 13. e. 33. ad illam, quam dixi, cœlestis Christi gloriæ demonstrationem nos revocat. Genitus ergo fuisse dicitur, non ut Filius DEI esse, quo ad se inciperet, sed ut talis patefieret mundo. Deniq; hæc genitura NON DE MVTVO PATRIS ET FILII RESPECTV intelligi debet, sed TANTVM significat, eum qui fuerat ab initio absconditus in arcano Patris sinu, & obscurè deinde sub lege adumbratus, ex quo prodijt cum claris insignibus, cognitum fuisse Filium Dei: sicut etiam dicitur Iohannis 1. b. 14. conspeximus gloriam eius, tanquam unigeniti Filij.

Vides hic, optime lector, augustis-

ſimum hunc locum (Filius &c.) de quo Epiſtola ad Hebræos ait: cui dixit unquam Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te, audere infelicem iſtum paraphraſten de Davide exponere: cum ne quidem Angelis cœlorum, nedum Davidi competat. Quod enim garrit, Davidem ipſum præferri Angelis, eò quod perſonam Chriſti geſſerit, id eſt, quod fuerit typus & figura Chriſti, ut hinc expeditum ait, cur David præ angelis appelletur filius Dei: facit næ, intelligendo ut nihil intelligat. Nonne enim hoc pacto & ſerpens æneus ille olim in deſerto ſuſpenſus, quia typum evidentiſsimum geſſit paſsionis Chriſti, eſſet angelis excellentior? imò ipſæ etiam bruta pecudes, quæ olim Chriſti paſsionem in ſacrificijs repræſentabant. Impium igitur & verè Iudaicum eſt, ſublimem illam ex Deo generationem, de qua Pſalmus diſſerit, referre ad Davidem. Eſtq́; ſingularis audaciæ, Chriſtianos interpretes, qui hæc de æterna Filij genitura

mutuo

*mutuoq; Patris & Filij respectu intel-
gunt, ita petulanter vellicare & sug-
illare, cum quidem, ut ostensum est,
er latus illorum confodiatur ipsa scri-
tura Apostolica. Hoc verò, mi Paræe,
on factitant eximij servi Dei, qua-
em tu Calvinum deprædicas.*

*Neq; nostræ expositioni tantillum
dversatur Apostoli Pauli locus in A-
ctis cap. 13. sed eidem potius apertè
uffragatur. Quod enim ex hoc Psal-
ni versiculo Paulus Christi resurre-
ctionem evincit: hoc ipso personæ re
urgentis æternam Deitatem verbis
Psalmi celebratam, ut fundamentum
uæ probationis præsupponit. Ob hoc
psum n. (quod persona hæc, cuius caro
x mortuis resurgens personaliter est
ropria, est vnigenitus Dei Filius, ho-
die in æternitate genito) impoßibile est,
ut caro eius vel corruptionē subeat, vel
n morte detineatur. Quē in modū et-
ā Diuus Athanasius de Incarnatione
verbi eiusq; corporali ad nos aduentu,
t & de paßione in oliveto: nec non*

Divus Cyrillus ad Theodosium, ex æternitate personæ τοῦ λόγου necessitatem resurrectionis ipsius secundum carnem ἀδαμαντίνως inferunt & concludunt.

Porrò præfatione illa mea iugulavi etiam pudendam corruptelam versiculi Psalmi 33. Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis exercitus eorum. Quod aliàs tàm illustre est Trinitatis testimonium, quale ferè nullum extat in universa veteris Testamenti scriptura Prophetica, utpote in quo notanter adeò personæ singulæ ipsis etiam nominibus suis designantur. Iehovæ enim voce Patrem notari extra controversiam est. Verbi appellatione venire Filium, irrefragabilis Autor est Iohannes, & Evangelista & Apostolus. Spiritu oris Domini, Spiritum sanctum intelligi & nomen & res ipsa palàm edocet, ut qui perspirationis modum ex incorporali ore divinæ essentiæ Patris procedit, ideoq́; Spiritus oris eius cognominatur. Hæc certa & hac cæli terræq́;

machi-

machina solidiora sunt. Sic enim & tota Trinitas creationi præfuisse memoratur, eundem planè in modum, quo Moses capite primo Geneseως (unde hîc Psalmi versiculus tanquam totius historiæ creationis compendium, desumtus ac velut transcriptus est) Dominum dicendo seu per verbum suum creasse res, & spiritum DEI motasse illas commemorat. Hæc catholica expositio sordet magno illi Theologo, Iohanni Calvino, & super versiculum illum Psalmi futilissima inanitate nugatur potius quàm commentatur hoc modo: SVB FILIVS *inquit:* veteres hoc elogio usi sunt contra Sabellianos, ut æternam Spiritus Deitatem assererent. Atqui ex aliis locis patet, ac præsertim ex Esaiæ cap. 11. a.4. spiritu oris notari sermonem: illic enim de Christo dicitur: percutiet terram virga oris sui & Spiritu labiorum interficiet impiũ. Sicùt autem potestate & efficacia plenus sermo allegoricè vocatur oris sceptrum: Ita alio

ſine poſtea dicitur halitus, ad diſcri-
men notandum ſermonis DEI, &
inanis reſonantiæ, quæ ex ore homi-
num prodit. Ergò in probanda Dei-
tate Spiritus, hoc teſtimonio Sabel-
lium urgere non auderem. *Eodem
pacto pervertit ipſum iſtum locum in
ſuis Inſtitutionibus lib 1. cap. 13.
Sectione 15. Veterum Chriſtianorum
interpretum piam & orthodoxam e-
narrationem ſic exagitans :* Sciens
ac volens ſuperſedeo à multis teſti-
monijs, quibus uſi ſunt veteres. Plau-
ſibile illis viſum eſt citare ex Davide,
Verbo Domini cœli firmati ſunt, &
Spiritu oris eius omnis exercitus eo-
rum, ut probarent, non minus Spi-
ritus ſancti opus eſſe mundum, quàm
Filij. Sed cum in Pſalmis uſitatum
ſit, bis idem repetere, & cum apud
Eſaiam Spiritus oris idem valeat,
atque ſermo, INFIRMA illa ra-
tio fuit.

*Principiò debile admodum eſt,
quod*

quod ex consuetudine Psalmistæ ratiocinatur, solere illum bis idem repetere. Nam ut hoc detur in multis: in multis tamen contrarium observari certissimum est. Impertinenter etiam ad institutum suum accommodat illud Esaiæ 11. siquidem nullum est raciocinationis vinculum à substantiali verbo, de quo Psalmus 33. agit, ad verbum prædicatum seu vocale, de quo putat Calvinus Esaiam loqui cap. 11. Adhæc per Spiritum labiorum in Prophetæ contextu certum est non ipsum Verbum Euangelij, sed Spiritum sanctum intelligi. Hic enim est, per quem Messias percutit terram, seu ut Christus ipse nobis explanat, iudicat mundum, Iohan. 16. hic est, per quem interficit impium, videlicet per spiritum oris sui 2. Thessal. 2. tametsi mediante verbo. Ideoq; Propheta Spiritum labiorum Christi, ut causam efficientem, & Verbum, ut instrumentum cõnectit. Adhæc cohærentia vaticinij palàm arguit, eum notari Spiritũ,

quem

quem paulò ante super Christum è radicibus Isai prodeuntem requieturum dixerat, qui est spiritus sapientiæ ac scientiæ, spiritus roboris ac fortitudinis &c. tertia videlicet gloriosæ Trinitatis persona. Quod si in his (spiritu oris eius omnis exercitus eorum) non Spiritum sanctum, sed, ut Caluinus interpretatur, τὸν λόγον secundam personam Deitatis intelligendam esse quis existimat, edisserat nobis, ubi unquam uspiam unigenitus ille λόγος, in uniuersa scriptura Spiritus Iehovæ nominetur? Non enim simpliciter & absolutè spiritus (quod ad essentiam referri posset) sed Relatè spiritus Iehouæ seu Dei patris dicitur hic spiritus, cuius Psalmista commeminit. Dicat ergo nobis, siue Paræus, sive quicunq; tandem Caluini patrocinium suscepturus est, ubi tandem, quo in libro scripturæ; & quo capite filius Dei dicatur Patris sui spiritus? Num enim tandem cuivis nugatori fas erit etiam absque scripturæ luce ex fumo pro-

prij cerebri gignere privatas interpretationes? aut per illam scripturarum στρεβλὼν, ut Petrus nominat, ex quovis quidvis effingere? aut num eò progrediemur cum Calvino absurditatis, ut somniemus, Deum Patrem ex ore substantiæ suæ duos producere distinctos spiritus? puta λόγον seu Filium DEI, quem hic Spiritum oris Domini vocari Calvinus noster autumat, deinde & Spiritum sanctum, quem ipsum etiam à Patre procedere Christus autor est, Iohan 16. Hæc aliaq; prius assignata pondera rationum vidit Paræus nullo pacto convelli posse. Itaq; præterire maluit, quàm irrito conatu laborare in salvandis ijs, quæ medicam manum non admittunt. Atq; hæc sanè ex veteri Testamento producta tum in mea præfatione erant, quæ demonstrabam à Calvino in commodum Iudæorum & Arianorum horribiliter esse depravata. Ceterùm ut videat Paræus esse his longè plura: non dubitabo in ipsius gratiam laborem istum suscipere, &

in

*in eludendis testimoniis Spiritus san-
cti veteratoriam κυβείαν καὶ πανουργίαν
Calvini documentis pluribus ob oculo[s]
statuere.*

*Ex verbis Psalmi 45. Thronu[s]
tuus, ò Deus, in seculum seculi: virg[a]
rectitudinis virga regni tui. Dilexist[i]
iustitiam & odisti iniquitatem. Pro-
pterea unxit te, Deus, Deus tuus ole[o]
letitiæ supra consortes tuos &c. Au-
tor Epistolæ ad Hebræos æternam Fil[ii]
Deitatem populo Hebræo, ad quem
scribit, demonstrat, inquiens: Ad an-
gelos quidem dicit: qui creat angelo[s]
suos spiritus, & ministros suos flam-
mam ignis. Ad FILIum autem: Thro-
nus tuus, Deus, in seculum seculi.
Virga rectitudinis virga regni tu[i].
Dilexisti &c. Habes luculentam ex-
plicationem, eamq́ue à Dei spiritu pro-
fectam, hæc nimirum ad FILIVM
esse dicta. Quod argumentum testimo-
nio Psalmi superstructum fatiscet to-
tum, imò corruet, si ad alium quàm
Christum verba illa Psalmi perti-
nere*

nere contendas. At hoc non dubitat facere Calvinus, de Salomone pericopen illam Psalmi enarrans, & hunc in modum Iudaizans: SIMPLEX & GENVINVS sensus est, SALOMONEM non tyrannicè dominari, ut plerosque Reges, sed rectis & æquis legibus: ideoque solium eius omnibus seculis fore stabile. *Et commentans in cap.* 1, *Hebr. ait,* fatendum esse quidem, de Salomone hunc Psalmum fuisse compositum instar Epithalamij, quia illic celebratur eius coniugium cum filia Regis Ægypti. *Hæc ille. Quamprimum verò Calvinus largitur Iudæis, Psalmistæ dictum sensu simplici suo & genuino non Christum spectare, sed Salomonem: protinus redditur Apostolicum argumentum hiulcum valdè* καὶ ἀπροσδιόνυσον, *ut quod nec simplici nec genuino sensu nititur. Atque sic in cassum post laborat Caluinus, sub typi ratione hæc ad Christum referens. Obstrepent*

ſtrepent enim Iudæi, ſe in eo ſenſu, quem Calvinus ipſe dicat eſſe ſimplicem & genuinum, acquieſcere & alterum anagogicum illum, tanquam minimè nativum aut genuinum, Calvino relinquere. Intelligunt lectores non ſtupidi, quomodo ſtrophis ſuis imum fundamentum labefacere tentet Satanas, ut omnis ad probandum vis exſpiret & in auram evaneſcat.

Iam porrò ex collatione Pſalmi 68. & Epiſtolæ ad Epheſ cap. 4. invictum argumentum emergit ad probandum, Chriſtum eſſe verum DEVM. Nam de ipſo Iehova prædicat ille Pſalmus, quod in altum aſcendat, & captivam ducat captivitatem, & dona det hominibus. Hoc cum in Chriſto impletum eſſe Paulus, apertè confirmet: nonne liquidò declarat, Chriſtum eſſe illum Iehovam ibidem à Pſalte Iſraëlis celebratum ac decantatum? Et certum eſt, eiuſmodi res toto Pſalmo eo deſcribi, quæ ad Chriſti regnum unicè quadrent. Cum igitur

habea-

habeamus irrefragabilem ipsius Pauli paraphrasin, quid dubij reliquum esse potest, quò minus de Christo Dauidem in Spiritu sancto vaticinatum esse credamus? Calvinus autem Apostolo Paulo, qui in tertio cœlo Theologiam suam didicit, longè doctior & sapientior, hæc Dauidis regno terreno adaptare maluit contra luculentissimam interpretationem Paulinam, quàm Christo. Videamus, quomodo illustre vaticinium Prophetæ crucifigat: Ad Psalmi illius versiculum 19. ascendisti in altum, captiuam duxisti captiuitatem &c. hæc annotat. Minimè dubium est, comparatione diuersi temporis illustrari novam gratiam, quæ sub Saule sepulta, Dauide regnum adepto, iterum illuxerat. Subest enim tacita Antithesis inter iacere & in sublime attolli: ac si dixisset: in tristi populi dissipatione non apparuisse DEI gloriam, qualis olim conspicua fuerat. Regnum enim Saulis sicuti à prauis & illicitis exordijs cœperat, male-

dici oportuit, donec sub Dauide gratiæ suæ lucem Deus restitueret: quo felici successu palàm factum est, Davidem legitimis auspicijs regnare, quia diuinitus electus erat.

Ecquid verò censes, optime lector, de hoc αὐτοδιδάκτῳ *scripturarum interprete, qui pro supercilio suo integrum sibi esse putat, scripturas ex suo tractare libitu, sepositis & ab alto despectis ipsorummet Apostolorum interpretationibus. Etenim quid de allegatione Paulina sentiat, indicio nobis est arrogans eius vox, qua scribit, Paulum locum hunc SVBTILIVS ad Christum DEFLEXISSE. Ne tamen tanti Apostoli autoritatem planè contemnere velle videatur, hanc clementiam ei exhibet, ut illum sub figuræ ratione versum Psalmi ad Christum retulisse pronunciet. Quod ipsum tamen est purum putum commentum. Sed verba ipsa recognoscamus Caluini hoc modo scribentis:* Cæterum quia locum hunc Paulus SVBTILIVS

ad

d Christum DELEXIT ad E- phes.cap.4.v.8. videndum est, quàm bene hoc cum mente Davidis conve- niat. Certè principium illud everti nullo modo potest, Dauidem ea lege præfuisse veteri populo, vt sub figura la Christus Rex æternus suum im- perium inchoaret. *Hæc Caluinus. Pro- andum incumbit superciliosæ Docto- i, ea, quæ secundum geminum sen- um de Dauide dicta falsò putat, Pau- um non nisi per sensum subtiliùs de- exum interpretari de Christo. Nun- uam hoc, nunquam in ultimam usque erpetuitatem evincet. Et an non hoc st flagellare sanctum Apostolum, tri- uere ei subtilitates & à sensu genui- o deflexiones in allegandis Propheta- um scriptis, confirmandisq; inde fidei hristianæ summis articulis? & con- ientijs hominum in re tanta super im debile fundamentum ædificandis aque non solùm ruinam minabitur ac ratione argumentum illud Deita- s Christi super Psalmi & Paulina*

Paulus arguitur à Caluino, quòd locum Psalmi subtilius De flexerit.

παραφράσεως comparatione exædifica-tum: sed simul etiam Davidicus il-locus Psalmi ad probandam ascensio-nem Christi in cælos valdè languidi erit & infirmus, si verba illa (ascen-disti in altum, captivam duxisti ca-ptivitatem &c) primò & simplici ac-cepta sensu Christum nihil attineant, sed gloriam & victorias Dauidis ca-nant, ad Christum verò non nisi pe-sensum subtilius DEFLEXVM re-ferantur. Ita namq; Iudæis ex ore Cal-vini respondere promptum erit; se in proprio sensu acquiescere, nec morar eum, qui à natiua sententia non nis per subtilitatem quandam deflecta-tur. Operæ autem precium est & hoc at-tendere, quod Caluinus eadem phras perstringat interpretationem Pauli qua suprà Scriptorum Ecclesiæ senten-tias circa locum Genes. 4. & versicul Psalmi 33. vt subtiliores improbavit Estq; solenne prorsus huic Aristarcho subtilitatis vocabulum in censendi aliorum sententijs in deteriorem usur-par

are partem, quando illius perstringere
ult vt minus proprias aut ad rhom-
um nihil pertinentes. Sed talia plura
videbimus infra, precipuè cum ad va-
icinia de Christo fuerit deventum.
Nunc reliqua Scripturæ dicta lustre-
mus, Caluini corruptelis commacula-
ta, quibus aliàs vel Mysterium Trini-
tatis, vel Salvatoris Meßiæ Deitas as-
serta extat.

Illustre & eximium est, quod Mi-
chææ quinto legitur: Et tu Bethlehem Dictum
Ephrata, quæ parva es in millibus Iu- Mich. 5
da: ex te mihi egredietur, qui sit Dux
Israelis, cuius egressus ab initio, A
DIEBVS AETRNITATIS.
Hoc testimonium Scriptores Ecclesia-
stici, veteres & neoterici hactenus ad
æternam Christi generationem & es-
sentiam retulerunt, ut inde probatum
redderent, Meßiam, præter naturam
humanam præditum esse oportere di-
vina æternaq; natura. Et piè illi, or-
thodoxè, eruditè appositeq; common-
strant, geminum à Propheta notari

 egressum

*egressum Christi, alterum ex Bethle-
hem secundum carnem, alterum à die-
bus æternitatis iuxta Deitatem per in-
effabilem generationem à patre, di-
cente Domino: egressus eius ab initio
à diebus æternis. Quem etiam sensum
textus simplicißimè redditus & acce-
ptus sine ulla prorsus ambiguitate sup-
peditat. Verùm ne hoc quidem inta-
ctum relinquere potuit Caluinus, quin
repudiata nostrorum hominum sen-
tentia imum fundamentum propheti-
ci dicti labefactaret, & aciem proba-
tionis aduersum infideles obtunderet
ac hebetaret. Glossa eius hæc est:* Cæ-
terùm adiungit Propheta, egressus
eius esse ab initio, vel à longa vetusta-
te, & à diebus seculi: hoc est, diebus
æternis. Hic significat, non fore hoc
repentinum, quòd surget princeps,
qui populum gubernet: quia iam o-
lim hoc diuinitus fuit decretum. Hic
EST SIMPLEX SENSVS.
Scio, quosdam insistere PERTI-
NACIVS, quòd hic loquatur Pro-
pheta

pheta de æterna essentia Christi, & quantum ad me spectat, libenter agnosco hic probari nobis Christi divinitatem. Sed quia hoc nunquam extorquebitur à Iudæis, malo simpliciter accipere quod sonant Prophetæ verba, Christum non ita repente prodliturum ex Bethlehem, quasi de eo nihil Deus statuisset. Egressus ergo eius sunt ab initio, inquit. Alij etiam asserunt novã ARGVTIAM, quod plurali numero Propheta Egressus vocet propter duplicem Christi naturam, sed subest absurditas, qua neq; proprie neq; scite conferret Propheta naturam humanam Christi cum divina, quantum attinet ad æternitatem. *Hæc Calvinus. Vnde satis elucet, quàm sit Christianis interpretibus iniquus, quàm petulanter illos vellicare & eorum etiam pias appositasq; sententias pro censoria sua severitate reprehendere gestiat. Quanquam verò nequaquam inficior, Calvinum post hæc quædam de Deitate Christi atte-*

Egregia ratio: quia hoc nunquam extorquebitur à Iudeis: Ergo interpretandũ aliter. Ne Aposto quidem potuerũt ab ipsis extorquere ut scripturis crederẽt. Ergò ne ad illum sensum scripturarum erat confugiendum?

xere : attamen ubi neruus initio præcidıtur, & de æterna essentia sermonem à Propheta institui contra tenorem atq; sonum verborum negatur: quid firmitatis ad redarguendos Iudæos superesse potest?

τρισάγιον Esa.6. *Vnum adhuc circa veteris testamenti dicta proferam specimen. Quando beati Seraphin Esaiæ 6. acclamāt in Prophetica visione Domino : sanctus sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum : credidit hactenus Ecclesia, & rectè quidem credidit, terna hac iteratione essentialis Epitheti DEI (sanctus) sine omni dubitatione indicari mysteriūm Trinitatis. Caluinus vero ut videri vult, eam Ecclesiæ expositionem non magnoperè improbare, ita nunc illam ferè admittit, mox improbat ut infirmam, tandem velut ad calamum dictat infidelibus, quid Christianis* τρισάγιον *illud obijcientibus obmurmurare posśint.* Veteres, *inquit* hoc testimonio usi sunt, cum vellent adversus Arianos tres Personas in

un

na DEI essentia probare. Quorum ego sententiam non reijcio. Quanquam si MIHI res cum hæreticis esset, mallem firmioribus testimonijs uti. Nam redduntur pervicaciores, & secum ipsi plaudunt, cum minus apertis testimonijs oppugnantur: ut hoc loco facile ipsis ac promptum esset accipere, ternario numero perfectionem notari, ut in alijs scripturæ locis. Quamuis ergò non dubitem, Deum unum in tribus personis hîc designari ab Angelis (nec certé laudari potest Devs, quin simul & patris & filij & Spiritus S. laudes celebrentur) tamen apertioribus locis potiùs utendum existimo, ne probando fidei nostræ capite, hæreticis ridiculi simus. Et certe hac repetitione POTIVS indefessa asiduitas notatur, ac si dixisset Propheta; Nullum Augelicæ melodiæ finem esse in canendis Dei laudibus: sicuti inexhaustam earum materiam nobis suppeditat eius sanctitas.

Si non dubitas, cur igitur eos, qui hoc testimonio utuntur aduersus Arianos, reprehendis & cur ipse paulò post aliam sententiam repônis, sub qua etiam Ariani latere posśint:

An verò hoc non est veterum senilem & venerandam caniciem vellicare petulantius? an non est instruere Arianos, quomodo eludere possint τρισάγιον *angelorum adorandæ Trinitati sacrum? Vtrum credibilius est, velle angelos trina hac appellatione tres notare Deitatis personas, ut ex interpretatione novi Testamenti docent veteres: an verò ut Caluinus auguratur, POTIVS indefessam notare angelicæ melodiæ assiduitatem? At Iudæi ipsi, licet obstinatissimi hostes articuli huius, inficias ire nequeunt, Rabinos suos esse fassos, patrem, filium, & Spiritum sanctum celebrari cantione beatorum spirituum. Cum enim ex regno Neapolitano eijcerentur Iudæi, in Thargum à Ionatha Vzielis filio sic hymnus iste versus fuit: Sanctus pater, sanctus filius, sanctus Spiritus sanctus. Et à Rabbi Simeone hoc modo: Sanctus hic pater, sanctus hic filius, sanctus hic Spiritus sanctus. Cum ergo Iudæorum Rabbini hoc agnoscant quid nobis Christianis opus, in re*

Vide Petrum Galatinum.

plana lucidaq́; tergiversari & in nodo scirpum quærere? Præsertim cum Apostoli ipsi hymnum angelicum istum de distinctis personis æternæ Deitatis explicent. Patris ibi cani maiestatem, ne Ariani quidem negauerint. Filij decantari gloriam, testis omni exceptione superior est Iohannes Euangelista, qui in illa Prophetica visione gloriam Christi ab Esaia conspectam confert, Iohan. 12. Spiritus sancti laudes eodem cantico celebrari, Divus Apostolus Paulus Act. 28. luculenter asserit, cùm Iehouam illum, qui ab angelis isthic adoratur, & Esaiæ loquitur, Spiritum sanctum fuisse palàm asseuerat. Quoniam igitur veterum sententia in trisagij illius explicatione tantorum Apostolorum autoritate nititur: cur non uterentur eo ad evincendos Arianos, quos constat autoritatem librorum Novi Testamenti non reijcere, ut aliàs Iudæi factitant. Ad hæc non ignotum erat Calvino, veteres scriptores huic uni testimonio, (quan-

quantumuis ex causis iam dictis firmo satis, & invicto) non ita insistere, quin ad procacitatem Arianorum validius retundendam pluribus in medium adductis testimonijs adversum illos depugnent. Vnde manifestò patet, quàm sit inanis Calvini metus, ne probando fidei nostræ capite hæreticis ridiculi simus, & quàm ipse potius sese ineptijs istis deridendū alijs propinet.

Locus Ioan. 10. *Venio nūc ad dicta noui Testamenti: in quibus sese offert insigne & commemorabile illud Iohan. 10 Ego & Pater unum sumus. Dixerat in præcedentibus Saluator, neminem posse oves suas è sua rapere manu: Addideratq; neminem illas etiam ex Patris manu posse rapere; hoc ipso parem sibi patriq; suo potestatem, adeoq; unam manum potentiamq; attribuens. His immediatè subijcit: Ego & Pater unum sumus, affirmati illius sui rationem ab essentiæ unitate demonstrans. Quia enim Pater & Filius sint unum: ideoq; etiam potentiam illorum in custodiendis æ-*

ternum

ternùm suis ovibus esse ἀδιαιρέτως unam. Plana sunt hæc, & quidem adeò plana & dilucida, ut etiam Iudæi licet aliàs prodigiosè cæci, videant, Christum adscribere sibi laudem æternæ Deitatis & unitatem Essentiæ cum Patre. Ideoq; lapidare illum conantur, & rogati, cur hoc faciant, respondent: Ob bonum opus non lapidamus te, sed ob blasphemiam, & quia tu, homo cum sis, facis te ipsum DEVM. Iam Christus in responso suo non negat se Deitatem suam asseruisse, dicendo: Ego & Pater unum sumus: sed potius hanc dicti sui sententiam clarissimè tuetur, & prolatis rationibus confirmat, inquiens: Nonne scriptum est in lege vestra, Ego dixi: Dij estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi scriptura: quem Pater sanctificauit & misit in mundum, vos dicitis me blasphemare, quia dixerim, FILIVS DEI SVM? Vbi collatio dictorum euidenter arguit, Christum id, quod prius dixerat (Ego & Pa-

& Pater unum sumus) nunc per phrasin æquipollentem exponere. Filius Dei sum: hoc ipso unitatem illam, de qua disseruerat, de essentiæ Deitais unitate nobis enarrans. Pergit verò hoc thema stabilire ab operibus Deitati proprijs: Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi (scilicet quòd cum Patre sim vnum) sin verò facio, etsi mihi non credatis, operibus credite, ut agnoscatis & credatis, quòd Ego IN Patre sum, & Pater IN me est. Hic non solum argumentum, quo Christus usus est, ad hunc scopum dirigitur, ut se verum Deum, Dei Filium, & cum Patre unum esse comprobet: sed etiam commutata phrasi plenissimè docet Christus, sibi de unitate Essentiæ sermonem esse: Quod enim prius dixerat: Ego & Pater unum sumus: id iam phrasi tantundem valente amplius explanat: Ego in Patre sum & Pater in me. Est verò Pater in Filio, & Filius in Patre, non aliter quàm per inseparabilem essentiæ identitatem Hæc

Sole

ple ipso sunt illustriora, tot argumētis odo cumulatè propositis, & ex ipso xtu deductis irrefutabiliter ostensa. Itáq; in affirmato isto Filij Dei repositm præsidium aduersus Arianos inuictum & inexpugnabile. Quod agnorunt orthodoxi Patres in certaminibus aduersum Arianos: Idemq; ve Christi Ecclesia hodie fatetur & gnoscit absq; controuersia.

Caluinus autem illustrem hanc hristi sententiam glossæ verè Arianæ ra caligine maluit obfuscare, & ntitrinitariorum expositionem, de nitate non essentiæ, sed consensus, suo lculo comprobare, quàm ut expositæ meridie veritati suffragium suum commodaret. Hæc namq; sunt ipsius erba propria super istud dictum Chri- Deprauatio
t: Ego & Pater unum sumus: AB- verborum
r SI sunt, inquit, hoc loco veteres, vt Christ
robarent, Christum esse Patri ὁμοού- verè
op. NEQVE enim Christus de Arriana
nitate substantiæ disputat, sed de
ONSENSV, quem cum Patre
habet:

habet: quicquid ſcilicet geritur à Chri.
ſto, Patris virtute confirmatum iri.

Hanc gloſſam, qua lucidiſſimi te-ſtimonij ſplendorem ceu piceo obiecto fumo Caluinus obnubilare ſtudet, aio vere eſſe Arianam, à mente Chriſti peregrinam, à textu multis modis & rationibus, ut iam oſtenſum eſt, diſ-ſentaneam; ab Eccleſiæ Catholico con-ſenſu plane diſſonam, & à Diabolo in fraudem fidei Chriſtianorum excogi-tam: quam ταῖς ἀμφοῖν excipiunt, am-plexantur, & exoſculantur Franciſcus Dauidis, Blandrata, cæteriq; iuratiſ-ſimi perfidiſſimiq; hoſtes adorandæ Trinitatis. Tu, Paree, excute vires in-genij tui, & diſpice, ecquid ad ſcele-ratam hanc corruptelam ſaluandam vel in ſpeciem ſaltem, proferri poſſe exiſtimes. Ego, dum tu de his delibe-ras, ad alia progredior.

Locus Ioan. 10. & 14.

Quoties in Euangelio repetit Do-minus: Ego ſum in Patre, & Pater in me: toties illum Deitati ſuæ perhibere teſtimonium cenſet purior Eccleſiæ ve-tuſtas

ustas, unâ cum nostræ ætatis ortho-
doxis Scriptoribus. Sic cum ait ad Iu-
dæos: si non facio opera Patris mei, no-
lite credere mihi. Sin verò facio, etsi
mihi non credatis, operibus credite, ut
cognoscatis & credatis, quòd ego in
Patre sum & Pater in me est: demon-
stratum ex textu est, probare ipsum
velle, quòd sit cum Patre unum, quòd
Deus, quòd Filius Dei: quia faciat o-
pera Patris, & in ijs perficiendis ipse
quoque concurrat, ideoque eadem essentia-
li virtute operum illorum editrice sit
præditus. Ita cum ait ad Philippum
& discipulos reliquos: Philippe, qui vi-
det me, videt & Patrem meum: &
quomodo tu dicis: ostende nobis Pa-
trem? non credis, quòd ego in Patre
sum, & Pater in me? Verba quæ ego
loquor vobis, à meipso non loquor. Pa-
ter autem in me manens, ipse facit
opera. Credite mihi, quòd ego IN PA-
tre sum, & Pater in me est, alioqui
propter ipsa facta credite mihi: Valor
ipse sermonis edocet, essentialem no-

tari unitatem Patris & Filij. Non enim aliter in Patre Filius & in Filio Pater, nisi per indiuisæ essentiæ κοινωνίαν, *gratia cuius Pater in Filio manet perpetuò, & Filius in ipso sinu Essentiæ Patris immutabiliter in omni æternitate permanet. Atque hoc sancti Patres aduersus flagitiosam hæresin Arianorum monuerunt diligenter, & in scriptis suis identidem inculcarunt. Sed Caluinus Ecclesiæ Iesu Christi catholicæ expositioni nuncium remittens, hæc ad illa verba Christi Redemptoris annotat*: Idem repetit, quod supra alijs verbis dixerat, ego & Pater unum sumus. Huc tendunt omnia, quòd in sua administratione nihil à Patre diuersum habeat: Pater, inquit, in me est, hoc est, diuina virtus se in me profert. Et ego sum in Patre, hoc est, nihil ago, nisi auspicijs Dei, ita ut mutua sit inter me & Patrem coniunctio. NEQVE ENIM HIC DE ESSEN-

TIAE

TIÆ VNITATE sermo habetur, sed de manifestatione potentiæ in Christi persona. Vnde constabat, divinitus missum esse.

Idem Calvinus in caput 14. Iohan. super verba Christi: quòd ego in Patre &c. scribit: hæc verba NON ad divinam Christi essentiam refero, sed ad modum revelationis. Locus Ioh. 14.

Nos ex adverso demonstravimus, hunc fuisse Christo scopum præfixum, ut suam Deitatem probaret Philippo. neque in æternum aliò poterit transferri reciproca ista mutuæ personarum in se invicem immanentiæ enunciatio, quàm ad essentiam. In Patre enim est Filius, non per modum revelationis, sed per essentiam. In Filio est pater, non per modum revelationis, sed per essentiam.

Pertexamus autem telam inchoatam. Iohan. 17. Christus in sua ad Patrem oratione precatur, ut unum Locus Ioan. 1[7]

ʃint diʃcipuli, ʃicut (inquit) & nos unum ʃumus. Et mox: ut omnes unum ʃint, ʃicut tu Pater in me, & ego in te. Quæ non abs re Scriptores Eccleʃiaʃtici teʃtimonium eʃʃe dicunt eʃʃentialis unitatis Patris & Filij. Siquidem non ʃunt per accidens unum (quia non cadit in Deum accidens) ut nec ʃecundum hypoʃtaʃin (hypoʃtaʃibus enim differunt pater & filius) Itaque per eʃʃentiam illos unum eʃʃe ἀποδεικτικῶς *evincitur. Caluinus econtra tenendum monet*, QVOTIES unum ſe cum Patre eſſe in hoc capite pronunciat Chriſtus, ſermonem haberi non ſimpliciter de diuina eius eſſentia: ſed unum vocari in Perſona Mediatoris, & quatenus caput noſtrum eſt. Sic quidem *(ait Caluinus)* præciſè multi ex Patribus interpretati ſunt, Chriſtum unum eſſe cum Patre, quia æternus ſit DEVS. Sed huc eos abripuit contentio cum Arianis, ut conciſas ſententias IN ALIENVM SENSVM TORQVERENT.

Quid

Quid verò hoc verbi est, Christum & Patrem vocari unum in persona Mediatoris? Item Christum esse cum Patre unum, quatenus est caput nostrum? Quàm contorta & planè violenta hæc est implicatio verius quàm explicatio? Itaq; quod in Patribus iste rigidus Aristarchus reprehendit, torquere illos verba Christi, hoc in Censorem ipsum veracissimè quadrat. Interim palmam fert expositio veterum de unitate naturæ & essentiæ. Nec tantillum aduersatur eis vocula, SICVT; cum ait Dominus: ut sint unum, SICVT ego & tu unum sumus. Neq; enim quia discipulorum accidentaria quædam unitas est in consensu animorum consistens, ideo & Patris filijq; unitas illa, cuius meminit oratio Christi, accidentaria esse putanda est. Sed collatio hæc æstimanda est ex analogia, quæ est inter DEVM archetypum, & nos, ad similitudinem eius effigiatos: ita quidem, ut quod in nobis accidentale est, sit in Deo essen-

tiale: eodem planè sensu, quo particu-
Matth. 5 la (SICVT) usurpatur in his quoque:
Luc. 6. Estote perfecti, SICVT & Pater ve-
Ioan. 13. ster perfectus est. Estote misericordes,
Ioan. 17. SICVT & Pater vester misericors
1. Ioan. 1. est. Diligite vos mutuò, SICVT ego
1. Ioh. 3. dilexi vos, Dilexisti eos, SICVT &
me dilexisti. Ambulemus in luce, SI-
CVT & ipse in luce est. Omnis qui ha-
bet hanc spem, purificat se, SICVT
& ipse purus est. Qui exercet iustitiam,
iustus est, SICVT & ille iustus est.
Quemadmodum igitur in his non
æqualitas perfectionis ostenditur, sed
hæc duntaxat prototypi & imaginis
convenientia designatur, ut quæ in
Deo, in quem nullum cadit accidens,
substantialia sunt, nobis κατὰ συμβε-
βηκὸς attribuantur: Sic idem ad un-
guem habendum ac iudicandum est
de sermone Christi, cum orat & optat,
Apostolos esse unum, sicut ipse & pater
unum sint.

Locus. Sed neque luculentum illud Iohan-
1. Ioh. 5. nis testimonium vel intactum vel in-
corru-

corruptum nobis relinquere voluit Calvinus, quando scribit Evangelista 1. Epist. 5: Tres sunt in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt. Id namq; depravat Calvinus Ariano hoc glossemate: Quod dicit tres esse unum, ad essentiam non refertur, sed ad consensum potius. Ac si diceret, Patrem, & æternum Sermonem eius, ac Spiritum, symphonia quadam Christum pariter approbare. Itaq; nonnulli codices habent, εἰς ἕν. Verùm etsi legis, ἓν εἰσιν, ut est in aliis exemplaribus: non tamen dubium est, quin Pater, Sermo & Spiritus EODEM SENSV dicantur VNVM esse, quo postea sanguis, aqua, & Spiritus.

Primò quod de codicibus affert, apparet, cupere ipsum, si liceret ullo aliquo prætextu, codices corruptos præferre integris, tantùm ut facilius instituto suo potiri, & ex Evangelistæ dicto, consensus, non essentiæ unitatem obtinere posset. Deinde quis feret

interpretem, absurdè adeò ex voto Arianorum pronunciantem, Patrem, Verbum & Spiritum sanctum eodem sensu dici à Iohanne unum, quo postea sanguis, aqua & spiritus: Etenim substantiæ personarum unitatem exprimere Iohannem voluisse, cùm perpetuus eius in illustrando hoc mysterio conatus atq; scopus indicat, tùm apud Orthodoxos extra disceptationis aleam omnem est positum. Quam essentialem unitatem fundamenti loco sternit, ut ei convenientiam testimonij, quod Christo perhibent Trinitatis personæ, superstruat. Imitatur enim consensus ille naturam sui principij, quod est indiuisa communio τῆς οὐσίας *& voluntatis, quam communionem essentialem esse constat, qualem vel essentiæ vel voluntatis* ταυτότητα *vel consensus rationem eandem quæ in personis Deitatis est, velle de Spiritu, aqua & sanguine comminisci valdè est* ἄτοπον

Quis ergò non videat, Diabolum

pe

per acutum hoc suum instrumentum data opera tales procudere voluisse strophas elusorias, quibus Antitrinitarij propugnacula Christianorum non solùm hostiliter attentare, sed etiam diruere valeant, quàmprimum aliquis in Ecclesia locus nefarijs hisce corruptelis & deprauationibus Caluini concessus fuerit. Ita fiet, ut si percontentur Ariani, ubinam ullum in scripturis dictum reperiatur, quo Trinitatis personæ dicantur VNVM unitate videlicet κατ᾽ οὐσίαν *intellecta: iam nobis uniuersa testimonia per aleatoriam illam quiduis eludendi versutiam è manibus excutiantur. Etenim si Arianis obiecerimus illud Iohan. 10. Ego & Pater unum sumus: respondebunt ex paraphrasi Caluini, de consensu, non de essentia loqui Christum. Sin illud, quo Pater in Filio, & Filius in Patre esse dicitur, obstrepent ex Caluini commentario, de modo revelationis, non de essentia esse intelligendum. Sin hoc ex precatione*

Christi Iohan. 17. Ego & tu Pater unum sumus, tu in me, & ego in te: denuò ex Calvini dictatis obmurmurabunt, unum dici Patrem & Filium in persona mediatoris, & quatenus Christus est caput nostrum. Si de his præsidijs ista proditoria fraude deiecti ad ultimum illud, 1. Iohan. 5. nos receperimus: iterum Calvino voce & scripto præeunte clamabunt Antitrinitarij, ad essentiam id non pertinere, sed ad consensum potius, & patrem, Verbum ac Spiritum sanctum eodem sensu dici unū; quo sanguis, aqua & spiritus. Quid mirum igitur, si procax ista libido pervertendi scripturas hac tandem infausta planeq; tragica terminetur catastrophe, ut uno post alterum testimonio sic eluso, & argumento uno post alterum in cordibus hominum concusso atq; diruto, longißima latißimaq; via sternatur, ad Arianam hæresin plenis catarractis atque imbribus in orbem terrarum effundendam & ingurgitandam? Quod infestißimus eventus in

locis.

*cis, civitatibus, regionibus atque re-
nis Paræo non ignotis, haud absq; tri-
tissimo naufragio innumerabilium
nimarum annis ultimis hisce nimis
videnter comprobavit.*

*Non prætereundus est locus Apo-
toli Coloss. 1. quando sempiternam
Domini Iesu Christi Deitatem & cum
atre ὁμοουσίαν commendaturus, scri-
it, illum esse imaginem Dei inconspi-
ui Et hunc sibi scopum habere Pau-
um isthic propositum, ut Christum ve-
um Deum esse convincat, colligitur
x immediatè connexis. Ita namq; co-
æret eius oratio: Qui est imago Dei
nconspicui, primogenitus universæ
reaturæ, quòd per illum creata sint o-
nnia, quæ in cœlis sunt, & quæ in ter-
a, visibilia & invisibilia, sive throni,
ive dominationes, sive principatus,
ive potestates &c. Totus in hoc est
Paulus, ut Deitatem æternam Salva-
oris illustret. Vnde nemini Christia-
no dubium esse potest, quin & hoc elo-
gium eò referatur, cum illum nominat
ima-*

Locus Col. 1.

imaginem Dei inuiſibilis. Planè ut & autor Epiſtolæ ad Hebr. 1. Deitatem Chriſti æquipollentibus expreſsit, ita ſcribens: per quem (Chriſtum) & ſecula fecit, qui eſt ſplendor gloriæ & expreſſa imago ſubſtantiæ illius. Hæc qui clariſsima eſſe negat, negat Solem lucere in meridie. Ideoq; & veteres abſq; dubitatione huc contulerunt Epiſtolæ ad Coloſſenſes verba (qui eſt imago Dei inuiſibilis) ut Deitatem aduerſus Arianos hinc aſtruerent. Sed quia Caluino, tanto Theologo, ſapit nil, cuius non ipſe ſit inventor & autor, intermittere non potuit, quin & hîc ſenilem barbam priſcorum Patrum vellicaret. Scio, *inquit*, qualiter veteres exponere ſoleant. Quia enim certamen habebāt cum Arrianis, æqualitatem Filij Dei cum Patre & ὁμοουσίαν urgent; interea tacent, quod eſt præcipuum, quomodo Pater in Chriſto ſe nobis cognoſcendum exhibeat. Quod in vocabulo imaginis totum ſuum præſidium conſtituit Chryſoſto-

mus,

nus, dum contendit, creaturam non posse dici creatoris imaginem: nimis infirmum est. Imò à Paulo refellitur, cuius verba sunt, Vir est imago & gloria DEI. Ne quid ergo habeamus nisi solidum; notandum est, nomen Imaginis NON PRÆDICARI DE ESSENTIA, sed habere ad nos relationē. Ideo enim imago Dei Christus, quia Deum quodam modo nobis facit visibilem, quanquam inde etiam colligitur ὁμοȣσία.

Scilicet, quod Calvinus solidum esse imperat, id pro adamantino sine contradictione habendum est. Quod ut infirmum extenuat, id pro tali simpliciter agnoscendum, si etiam cælorum angeli reclament. Esse expositionem Divi Chrysostomi invictam, modò rationibus ostensis expeditum dedimus. Et nolit velit, cogitur Calvinus agnoscere Pauli scopum in immediatè cohærentibus. Cur igitur in ijs, quæ ab his indiviso contextu dependent, tàm est veteribus iniquus, tamq; rigidus

dus & implicabilis Censor. . *Fallitur autem magnificè, quando heterogenea admiscens, de viro, qui & ipse dicatur imago Dei, auguratur labefactari axioma Chrysostomi, creaturam non posse dici Creatoris imaginem, & quasi re præclarè gesta subdit:* Ne quid ergò habeamus, nisi solidum, notandum est, nomen imaginis non prædicari de essentia, sed habere ad nos relationem. *At verò affirmatum Chrisostomi limitatum ex sententia Apostoli, perstat inconcussum, videlicet nullam creaturam posse dici Creatoris imaginem essentialem, seu, ut ad Hebræos explicatur, imaginem SUBSTANTIAE ipsius Heb. 1. Falsissimum econtra Dictatoris nostri pronunciatum, vocabulum imaginis non prædicari de essentia. Equidem si quando de nobis prædicatur, haud invitus largiar, non essentiam sed quandam nostri cum Deo similitudinem exprimi. Secus res habet, cum ὁ λόγος imago DEI dicitur. Ibi enim talis de*

scri-

scriptio vel adijcitur vel subintelligitur, quæ nos ad ipsius essentiæ cum Deo patre communionem spectandam deducit. Qui enim negat, imaginem SVBSTANTIAE patris de Christo prædicari secundum essentiam: næ is fustibus emendandus potius, quàm argumentis refellendus fuerit. Christus ergo hac iam dicta limitatione appellatus imago Dei inconspicui, è creaturarum omnium vulgo segregatur, & Deo Patri ὁμοούσιος esse palàm asseritur. Certè si hoc genus argumentationis dominari debeat, quo Calvinus utitur: tum neque ex nomine Filij DEI τεκμήριον sumi poterit divinæ Christi naturæ: siquidem etiam creaturæ, ut angeli & beati homines dicuntur filij Dei, idq; non minus, atque vir imago Dei nuncupatur. Quemadmodum verò ex nomine filij Dei secundum scripturas determinato procedit argumentum de Deitate Christi: sic etiam ex nomine imaginis Dei pari ratione determinato, recto pede procedit Di-

vi

vi Chrysostomi aliorumq́; Patrum ἀπόδεξις

Et hæc quidem de primo genere corruptelarum, quibus conspurcavit dicta Scripturæ de DEO, Trinitate, divina natura Christi & Spiritus sancti.

CAPVT POSTERIVS.

Accedo ad Oracula, vaticinia & promissiones scripturæ Mosaicæ & Propheticæ, quibus, impulsi Spiritu sancto de Messia locuti sunt sancti Dei homines: idq́; non tantùm sub Leuiticarum Ceremoniarum typis & figuris implicitè, sed etiam perspicuis promissionibus & prædictionibus sine figurarum involucris, explicitè.

Videamus initiò, quomodo vaticinia de Natiuitate & adventu Messiæ à Caluino tractata sint. Promissio Evangelij omnium prima est, quam Dei Filius in Paradisio sua ipse voce promulgauit inquiens: inimicitias ponam

I. Vaticinium de Semine Mulieris

onam inter te (serpentem antiquum) ?r mulierem : & semen tuum & se- ?en illius: ipsum conteret caput tuum, ?r tu mordebis calcaneum eius. Hanc ?romißionem fusißimè deinde expo- ?uerunt Prophetæ, donec in plenitudi- ?e temporis ipso rei eventu completa ?r obsignata est. Et ratam habuit o- ?nium seculorum & ætatum Ecclesia ?anc interpretationem, quòd semen ?ulieris, seu promissus mundi Salva- ?or & Meßias evacuaturus sit impe- ?ium Diaboli, serpentis antiqui, ut il- ?um Scriptura propter historiam sedu- ?tionis primorum parentum nominat Apoc. 12, Ex adverso Diabolum mor- ?urum esseChristi calcaneum, quo san- ?a eius humanitas indicatur, idq́ ?empore crucis & paßionis eius adim- ?letum esse res ipsa declaravit.

Hoc Evangelio se sustentarunt ?rimi parentes, eorumq́ pij ac fideles ?osteri, & fide in dulcißimam istam ?romißionem recumbentes salvati sunt. Et certè nisi verbis illis conceda-

mus Diabolo vastitatem regni, nobis verò gratam ex ipsius tyrannide liberationem indici: ad hunc absurditatis scopulum impingemus, ut Adamo quidem, & Evæ, tum serpenti naturali, suam cuiq; pœnam à Domino denunciatam esse Moses referat: Satanæ verò totius illius funestissimæ seductionis architecto nullam in hoc iudiciario actu putemus esse pœnam inflictam. Et si sermone Dominico illo Evangelica promissio de venturo Messia proposita non est, sequetur amplius nec protoplastos, nec primævi mundi Patres ullum habuisse manifestatum Evangelium: quod quàm sit absonum quisque Christianus, me etiam non monente, intelligit. Meritò igitur purum & ab omnibus corruptelis probè castigatum retinendum est hoc Evangelium primum, ex quo tot tamq; præclaras conciones Spiritus sanctus insequentibus seculis extruxit. Considerenus autem, quomodo promissionem hanc tractet Calvinus, & qui sensi

sensu eam excipiat. Is enarrans istum locum scribit: SIMPLICITER interpretor, hostile semper fore dissidium humano generi cum serpentibus, quale hodie cernitur. Fit enim arcano naturæ sensu, ut ab ipsis abhorreat homo. Quòd quibusdam sunt in deliciis, inter prodigia reputandum est: ac quoties nobis horrorem incutit serpentum aspectus, renovatur defectionis nostræ memoria. Vno etiam tenore contexo, quod mox sequitur: Ipsum vulnerabit caput tuum, & tu vulnerabis eius calcaneum. Tale enim odium fore denunciat, ut sibi ultrò citroq; molesti sint: serpentem hominibus infestum fore, & homines vicissim perdendis serpentibus fore intentos.

Calvinus in 3. ca. Gen.

Iam super verba: Ipsum conteret caput tuum, ita pergit ἰουδαΐζων Calvinus: Locus hic nimis luculento documento est, quanta fuerit in Papatu Doctorum omnium & inscitia, & socordia, & incuria. Obrepsit fœmini-

num genus loco masculini vel neutri. Qui Hebraicos vel Græcos codices consuleret, nemo inter eos fuit, vel qui saltem latina inter se exemplaria conferret. Communi igitur errore vitiosissima lectio recepta fuit. Deinde inventa est sacrilega expositio, dum sanctæ Christi matri aptârunt, quod de semine dictum erat. In verbis quidẽ Mosis nulla est ambiguitas: de sensu verò MIHI non convenit cum aliis. Nam semen pro Christo sine controversia accipiunt; ac si dictum foret, exoriturum ex mulieris semine aliquem, qui serpentis caput vulneraret. Eorum sententiam libenter meo suffragio approbarem, nisi quod verbum Seminis nimis VIOLENTER ab illis TORQVERI video. Quis enim concedet, nomen collectivum de uno tantum homine accipi? *Observa, Calvinum Protevangelion illud interpretari de naturali serpente, & odio illo, quo homines & serpentes sibi mutuò sunt infesti.*

sti. Quanta iam, obsecro, rima Iudæis aperta est elabendi, si largiaris, per serpentem eiusq́ semen serpentes naturales, per semen mulieris posteros omnes, per inimicitias naturale illud odium notari? Iam certè nulla ratione comprehendi se patientur, ut de Messia quicquam hîc haberi concedant, sed in sententia semel à Calvino concessa unicè volent acquiescere. Observa & hoc: quàm audacter pugnet Calvinus, semen, quia sit nomen collectivum, de uno homine non accipi, ideoq́ sibi non convenire cum his, qui semen pro Christo sine controversia accipiunt. Attende, Apostole Paule. Inventus post tot secula est in medio Christianæ Ecclesiæ cœtu, qui tuæ expositioni, qua collectivum nomen Seminis de unico homine Iesu Christo disertissimè exponis, absurditatis notam impingat. Tu enim ita ex Spiritu sancto scribis: Porrò Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dicit, & seminibus, tanquam de MVLTIS, sed tan-

quam de VNO, & in SEMINE tuo, QVI EST CHRISTVS. Calvinus autem sub ferulam suam te tuamq; piam interpretationem revocans scribit; eos, qui semen pro Christo sine controversia accipiunt, verbum seminis torquere violenter. Quis enim concedet, inquit, nomen collectivum de uno tantùm homine accipi?

Deniq; postquam fundamentum Evangelicæ promissionis illius evertit, simplici nimirum sensu verborum, longè aliò, quàm ad Christi beneficium, relato, ipsiusq; Pauli declaratione superbissimè reiecta: videt quisq; laterem lavare Calvinum, quando sic hebetatum locum illum, post demum sensu anagogico quodam & quasi παρέργως *in Christum confert. Quanquam ne hîc quidem potest à strophis abstinere, quin quod uni Christo textus Mosaicus attribuit, ipse ad totam Ecclesiam referat. Etsi verò Fructus divini huius operis, quo Diaboli caput quassatum & comminutum est, ad nos perti-*

pertinet, tamen opus ipsum conterendi caput Diaboli, nunquam evincet Calvinus nobis competere. Est enim solius Filij Dei opus, conterere caput serpentis, ut qui, Iohanne teste & interprete, ideo apparuit, ut dissolveret opera Diaboli 1. Iohan. 3 Quod si volet morosius τὴν θέσιν φυλάττειν, Satanæ conterendi virtutem diffundi in homines fideles, ut ipse ex depravato Pauli loco Rom. 16. contendit (qui non hominibus sed Domino hanc virtutem adscribit) cur ergo sacrilegam expositionem nominat, aptantem Sanctæ Christi matri, quod de semine dictum fuerat: cum ipsemet contendat, sub semine totam comprahendi Ecclesiam, & per consequens, etiam Mariam matrem Domini, ut Ecclesiæ membrum apprimè nobile?

II. Promissio de semine Abrahæ benedicto.

Porrò quia tantopere displicet Calvino, si Collectivum verbum Seminis, uni Christo aptetur: nónne eàdem corruptelâ, qua nobis locum Genescos tertio depravavit, corrumpet

 simul

ſimul omnes illas promiſſiones, quibus reſpondet DEVS, in ſemine Abraham benedicendas eſſe omnes gentes terræ. Sic enim neque hîc collectivum nomen uni Chriſto accommodari ex opinione Calvini poterit. Et certè hoc velle vi-detur Calvinus, quando ſuper tertium caput Epiſtolæ ad Galatas ad eam pro-miſſionem ibidem ex Moſe repetitam annotat: Paulus Non SINGV-LARI NVMERO nititur, ut de VNO homine dictum hoc fuiſ-ſe probet.

Miror hominis proiectam confi-dentiam, quod auſus eſt ſcribere, Pau-lum, allegantem promiſſionem de ſe-mine, non niti ſingulari numero, cum tamen ſingularem numerum eviden-ter urgeat, pluralem reijciat, & aper-tiſſimè tradat, Dominum in ea pro-miſſione non dicere: & SEMINI-BVS, tanquam de MVLTIS, ſed tanquam de VNO, & in SEMINE tuo, qui eſt Chriſtus. Vbi ergo frons Calvini, negantis id, quod affirmat

Paulus,

Paulus, & affirmantis id, cui Paulus plenis tibijs reclamat?

III. Vaticinium Iere. 31.

Porrò ad vaticinia nativitatis Meßiæ pertinet etiam illud Ieremiæ cap. 31. Novum creabit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum: quemadmodum ipso fatente Calvino, Scriptores Ecclesiæ unanimiter hæc Nativitati Christi accommodant. Quàm verò hoc est magno illi Theologo Theologorum omnium ridiculum? quàm id scopticè exagitat & Iudæorum risui exponit? Referamus huc verba commentarij eius: Chriſtiani, *inquit,* ferè uno conſenſu hoc interpretati ſunt de Maria virgine: & movit eos nomen Miraculi: deinde fortè nimis cupidè arripuerunt, quæ viſa ſunt facere ad myſterium ſalutis noſtræ. Dicunt igitur hanc eſſe rem novam, de qua loquitur Propheta, quòd virgo geſtaverit utero ſuo Chriſtum infantem, ſed ſimul virum, quia ſcilicet plenus fuit divina fortitudine, quamvis ſecundum carnem cre-

verit & staturâ, & sapientia & virtute. MERITO HOC RIDETVR à Iudæis. *Rideat Calvinus, quantum & quamdiu volet. Certè sensus iste quàm aptißimè quadrat ad totius capitis περίστασιν. Vaticinatur Dominus de optato illo tempore, quo futurus sit propitius Deus totius Israelis, quo reducere velit populum suum, ut lætantes & cum iubilo redeant in Zion: Quod iuxta pervulgatum morem Prophetarum de Spirituali reductione ad communionem Ecclesiæ Novi Testamenti est accipiendum. Quodq; de huiusmodi rebus loquatur, quæ sub adventum Christi futura essent, dilucidius eis indicat, addita notatione querimoniæ, Luctus & planctus Rahelis super filios suos: quod ad tragœdiam infanticidij & miserrimæ trucidationis puerorum Bethleemiticorum pertinere, Matthæus Evangelista perhibet. Post hæc consolatur Dominus populum suum, & consolationi inserit vaticinium de Nativitate Meßiæ testifi-*

ſtificans ſe novum quid creaturum in terra, nimirum ut fœmina circundet virum, futurum eſſe tunc, ut Dominus inebriet animam laſſam, & omnem animam eſurientem ſaturet: imò ut Dominus feriat domus Iſrael & domui Iuda fœdus novum, ſublato veteri, ut eam pericopen vaticinij Epiſtola ad Hebræos interpretatur, & ad tēpus exhibiti Meſſiæ ſpectare pronunciat. Compendio dicam, nihil aliud habet caput illud: quàm res cum adventu Chriſti eiusq́; regno connexas.

Quoniam autem Calvino hanc pietatem Chriſtianorum ridere viſum eſt, diſpiciamus, ecquam ipſe profeſſrat ex transmarinæ ſuæ ſapientiæ adytis explicationem, filijs Dei hucusq́; incognitam. Textus habet: Novum creabit Dominus ſuper terram: fœmina circundabit virum. Calvini gloſſa eſt hæc: Perinde eſt, ac ſi dixiſſet Propheta: Redigent fœminæ viros in anguſtias, ita ut ipſos captivos teneant.

ant. Sed utitur ſingulari numero, quaſi diceret: fœmina una præſtabit multis viris, hoc eſt, ſinguli Iudæi præſtabunt ſingulis Chaldæis; ita Iudæi ſuperiores erunt, quamvis magnum & terribile ſit robur hoſtium.

Vt Calvinus gloſſemati ſuo veriſimilitudinis pallium induat, neceſſe erat initio ſingulare transformare in plurale, ut pro fœmina ſubſtituantur fœminæ, quæ viros in anguſtias redigant. Deinde ut nomen alterum quoque ſingularis numeri (Virum) in pluralem numerum abiret. Tertiò, ut fœminæ vox rurſum de una explicaretur dicit enim: fœmina VNA præſtabi[t] multis viris. Quibus ita præmiſſis, [ſi] divinando nondum aſſequi vales, qu[æ] tandem hinc ſit emerſura paraphra[ſ]ſis: attende iam, quid tanto dignum hiatu proferat ille Doctor magnus, cæterorum omnium Cenſor & Ariſtarchus. Per fœminas intellige Iudæo[s] (habes unum) per viros intellige Cha[l]dæos; En tibi alterum. Hæc ita conn[e]

cte

cte, quod Iudæi, qui respectu Chaldæorum pro fœminis haberi queant, sint ad angustias adacturi Chaldæos. Et hoc est illud: fœmina circundebit virum.

Primùm autem cuperem ex te, Paree, discere, quis Calvino hanc licentiam dederit, per Metamorphosin, quæ penè Ovidianas illas superet, quidvis fingendi ex quolibet, & fœminam in fœminas, fœminas in Iudæos transformandi, & faciendi ex viro viros, nempe Chaldæos?

Deinde si sensum Calvini spectes, qui est, Iudæos superiores fore Chaldæis; rursum edoceri cupio, an hoc sit quiddam novum in terra? an non antehac quoque Iudæi parva sæpè manu innumerabiles copias potentissimorum hostium profligarunt? Iam verò Dominus rem novam cunctisq; seculis inauditam promittit populo suo: quam ut præter rerum seriem eventuram cognoscerent ἐμφατικωτάτῳ verbo CREANDI uti voluit, mentes fidelium

in

in exspectationem novi miraculi et gens, quo fœmina virgo supra natu legem omnem in utero conceptura ambitura, tandemq; in hanc luce editura sit virum illum tot seculis e pectatum, tot piorum omnium voti gemitibus ac desiderijs expetitum: s quo fœdus novum, è medio subla veteri, sanciatur. Adhæc Propheta I remias data opera singulari nume est usus, cùm in designāda κατ᾽ ἐξοχ fœmina insigni illa DEI genitric tum in demonstrando κατ᾽ ἐξοχὴν vi eximio illo Christo Domino, qui div næ virtutis robore pollens arduum op æternæ nostræ redemptionis sit conf cturus, quemadmodum passim Vir a pellatur in Scripturis Esa. 53. Zac 6. & 13, Actor. 2. & 17.

Christus Vir passim appellatur in vaticinijs Prophetarum.

IIII. Vaticinium Haggæi 2.

Transeo ad Haggæi Prophetæ va ticinium de adventu Messiæ amabi & consolatione plenum, his compr hensum verbis: Adhuc modicum e & ego commovebo cœlum & terra & mare & aridam, & movebo omn ge

gentes. ET VENIET DESIDERATVS cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimæ, plus quàm primæ, dicit Dominus exercituum. Per desiderium omnium gentium intelligunt interpretes piè & rectè Christum, quod magno cum applausu gentium ac populorum esset in mundo per fidem Evangelij recipiendus. Et quanquam Calvinus hanc interpretationem attingit, agnoscens, posse sic explicari, tamen mox in priores tenebras evanescens, per desiderium gentium divitias illarum intelligit. Quæ glossa ex Iudæorum libris hausta est, & à Luthero graviter refutata.

Luth. in lib. de Iud. & illorum mendacijs.

Porrò commentum Calvini, sic habet: Postea adiungit, desiderium omnium gentium. Potest hoc duobus modis exponi, vel quòd gentes accedent, & simul afferent quicquid preciosum

ociosum est, ut consecrent ad cultum Dei. Nam Hebræi desiderium vocant, quicquid habetur in precio: ita hoc nomine comprehendunt omnes divitias, honores, & delicias, & quicquid tale est. Ideo quidam sic contexunt, Concutiam omnes gentes, & veniet desideriū: ut sit mutatio numeri. Alij subaudiunt particulā, ב, vel מ, hoc est, veniet cum desiderio, vel, venient in desiderio, id est, non venient gentes vacuæ, sed colligent omnes suos thesauros, ut sacra sit Deo oblatio. Sed possumus etiam intelligere de Christo, quod dicit, Desiderium omnium gentium, & implebo domum hanc gloriâ. Scimus enim Christum fuisse expectationem totius mundi: sicuti etiam apud Iesaiam dicitur. Et optimē quadrabit hæc locutio, ubi desiderium gentium advenerit, hoc est, ubi patefiet Christus, ad quem respicere debent omnium vota, tunc illustrem fore secundi templi gloriam. Sed quia statim subiungitur:
meum

Meum argentum, & meum aurum, ideo SIMPLICIOR erit sensus ille, quem iam retuli, nempe venturas gentes & quidem instructas omnibus divitijs, ut se, & sua omnia offerant Deo in sacrificium. Optimè enim convenit quod sequitur si expositivè legamus, meum argentum, meum aurum dici Iehova, hoc est, Ego non inopia hactenus distuli plenam Templi ædificationem.

Frivola ratio est, qua se à priore sensu, qui Christianorum est, ad Iudaicum istum patitur transversum abripi. Quod enim de auro & argento subijcitur, hanc habet sententiam: Nolite cogitare, hoc posterius Templum fore priori illo Solomonis ignobilius, propterea quod non fulget auro, nec thesauris adeò ditatum est, ut prius erat: meum enim alioquin est omne aurum & argentum, nec coram me quicquam decoris affert Templo argentum & aurum. Est verò aliud,

quod magnificentiam Templi huius secundi supra gloriam primi in immensum attollet, videlicet quòd Christus ipse in eo docturus est, suaq; præsentia, doctrina & miraculis ita collustraturus, ut omne aurum & argentum, cunctiq; thesauri, quibus dotatum erat prius illud, cum gloria secundæ domus in æternum comparari nequeant. Hunc simplicissimum & verissimum esse sensum, quivis non planè stupidus agnoscit & intelligit. Et constat nihilominus id, quod de auro & argento adijcit Propheta, hoc, quo iam dictum est, sensu.

V. Vaticinium Esaiæ 40. de Messiæ præcursore.

Verùm ut ad alia transeamus: voluit Dominus sui Filij in carne præsentiam non esse occultam, sed manifestari Israeli. Atq; ob hoc excitavit Iohannem Baptistam præcursorem Messiæ, qui concione pœnitentiæ novoq; Baptismi ritu viam pararet Christo Domino. Hoc aliquot seculis antè prodiderunt sancti Prophetæ diversis

de

de præcursore Messiæ vaticiniis. Cumprimis autem Esaias capite 40. hæc annunciaturus hortatur Novi Testamenti Doctores, ut blandè loquantur ad cor Ierusalem, eique prædicent Evangelium gratiæ Dei & remissionis peccatorum, quòdque dimissa sit iniquitas eius, quodque loco peccatorum suorum, quibus alias pœna debebatur, duplicia contingunt ei beneficia de liberali manu misericordiæ Domini, nimirum & peccati venia, & iustitiæ imputatio: idque per & propter adventantem Messiam, cuius gloria futura sit omni carni conspicua.

Porrò quo signo cognosci debeat, quando Messias ad sui muneris functionem proditurus sit, disertè Dominus definit, signi voce constituens prædicationem Iohannis Baptistæ in deserto Iudææ. Idcirco pergit Propheta: Vox clamantis in deserto, parate viam Domini. Rectas facite semitas Dei nostri: omnis vallis exaltabitur,

& omnis mons & collis humiliabitur &c. Et sanè, quæ sit horum verborum mens, opus nobis non est vel statu coniecturali vel divinationum libris Evangelistæ simul omnes hæc impleta referunt, Iohanne exordiente Baptismum & concionem suam in deserto. Nam hic est ille, dicit Matthæus, de quo dixit Esaias Propheta, qui ait vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Marcus à complemento huius vaticinij suum orditur Evangelium hoc pacto: Initium Evangelij Iesu Christi filij DEI, sicut scriptum est in Prophetis: Ecce ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Baptizabat autem Iohannes in deserto Iudææ &c. Lucas non dubitavit integrum vaticinium Esaiæ referre: Venit Iohannes in omnem regionem finitimam Iordanis, prædi-

prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum, ſicut ſcriptum eſt in libro ſermonum Eſaiæ Prophetæ dicentis: Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis reddetur humilis. Et fient, quæ obliqua ſunt, directa, & aſperæ vertentur in vias planas, & videbit omnis caro ſalutare Dei. Evangeliſta Iohannes inducit ipſummet Baptiſtam hæc de ſeſe ad legatos Iudæorum apertè citantem. Vrgentibus enim: quis es? ut reſponſum demus his, qui miſerunt nos? Quid dicis de teipſo? Ait: Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini: ſicut dixit Eſaias Propheta. Age habemus indubium Prophetæ ſenſum, tot fidorum, omniq́ humana exceptione maiorum teſtium approbatione ſolidiſsimè conſtabilium. Ad hanc unanimem expoſitionem beatorum Evangeliſtarum confer nunc eam, quam Cal-

vino proferre libuit Commentatio eius est hæc : prosequitur (Dominus) argumentum, quod exorsus erat, atque expreßiùs declarat, se missurum populo, quamvis in speciem desperato, MINISTROS consolationis. Simul prævenit obiectionem, quæ afferri poterat. Tu quidem promittis consolationem, sed ubi erunt PROPHETÆ? nam in deserto futuri sumus. Vnde perveniet ad nos hæc consolatio? Testatur ergò, desertum impedimento non fore, quò minus ista consolatione fruantur. Et DESERTVM METAPHORICE capitur pro vastitate illa, quæ futura erat, non tamen nego, quin ad iter intermedium alludat Propheta. Videbatur enim deserti asperitas reditum intercludere. Promittit ergò, tametsi obstructæ essent viæ omnes, nec ulla rima pateret, Dominum sibi ac suis exitum per invia facilè patefacturum. Alij coniungunt particulam hanc,

In

In deserto, cum membro sequenti, atque ita exponunt, Parate viam Iehovæ in deserto. Sed videtur potius vocem inducere Propheta, quæ palatos & quasi ab orbe habitali expulsos colligat, Tametsi nihil præter horrendam solitudinem conspiciatis, tamen hæc vox consolationis ex PROPHETARVM ore audietur. Hæc enim ad duram illam servitutem referuntur, quam IN BABYLONE subituri erant. Quos verò compellat ista vox? an fideles? MINIME: Sed Cyrum, Persas & Medos, qui captivum hunc populum tenebant. Hi cum alieni essent ab obsequio Dei, coguntur populum liberare. Iubentur ergo parare ac sternere viam, ut populus Dei in Iudæam reducatur, ac si dictum esset, ex inviјs pervia facite.

Observa hîc, Calvinum per vocem clamantis non unum aliquem Concionatorem, ut Baptistam, sed in-

definitè quoslibet Prophetas intellige-re, per Enallagen numeri, qua etiam configere solet alia vaticinia, ut in progressu docebitur. At Evangelista unum & solum Baptistam notari, coniunctis suffragijs decernunt.

Deinde cum Evangelistæ per desertum κατὰ τὸ ῥητὸν *intelligant desertum Iudææ, Calvinus altius sese efferens desertum Metaphoricè capit pro vastitate illa, quæ futura erat tempore captivitatis Babylonicæ: & eludit deserti vocem per Metaphoram, quo tropo alia quoq; divini Spiritus oracula nonpauca depravavit.*

Tertiò Evangelistæ partem vaticinij hanc (parate viam Domini &c.) eò referunt, quòd homines ad concionem Iohannis pœnitentiam agentes viam adornent adventanti Meßiæ. Calvinus autem ex sua Metaphora Paraphrasin astruit sensu diversissimam, nimirum hanc: tametsi captivis Iudæis obstructæ essent viæ omnes

ne

nec ulla rima pateret: tamen Dominum sibi & suis exitum per invia facilè patefacturum.

Quartò Evangelistæ compleri docent Esaiæ vaticinium demum Iohanne prodeunte ad docendum. Calvinus oggannit, id ad duram illam servitutem referri, quam in Babylone subituri erant Hebræi.

Quintò Evangelistæ perhibent, Iohannem concionem παραινετικὴν *illam dirigere ad populum Iudaicum, qui temporibus ijs erat & dicebatur DEI populus. Calvinus longè sapit & sentit aliter, scribens*: quos verò compellat hæc vox (*scilicet in deserto clamans*) an fideles? minimè: sed Cyrum, Persas & Medos, QVI CAPTIVVM HVNC POPVLVM TENEBANT. *Hos ait Calvinus iuberi, parare & sternere viam, ut populus Dei in Iudæam reducatur.*

Quis piæ mentis hæc legens & audiens, temperare sibi potest, quin per-

ficto odio, ut Propheta loquitur, oderi & aversetur hunc præstigiarum Iudaicarum architectum? quòd haud veretur Evangelistarum interpretationi medium digitum ostendere, sibiq; glossam fabricare aliam, quæ textui (si Dîs placet) magis congruat. Eam enim, quam Evangelistæ nobis assignant, declarationem, analogia typi duntaxat niti censet, quatenus illa è Babylone redemtio typus tantummodo fuerit redemtionis nostræ annunciatæ per Iohannem, tanquam primarium interpræcones eius redemptionis, ut qui digito Christum ostenderit. Sed allegatio S. Evangelistarum multo clarior est, quàm ut his verborum præstigijs elidi vel eludi sese patiatur. Et docet unanimis Evangelistarum omnium consensus, Esaiæ vaticinium iuxta proprium, nativum & genuinum sensum, non ad quenquam alium vel Prophetam vel Doctorem, quàm Messiæ πρόδρομον, nec ad aliud aliquod

quod ante gressum tempus extendi: sed ad Novi Testamenti seculum unicè restringendum esse.

Progrediamur. Prænunciarunt Sancti Prophetæ, Christum, præter arduum illud opus redemptionis, functurum insuper esse munere docendi. Hoc Dei iussu atque nomine promulgat Moses Deut. 18. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturq; ad eos omnia, quæ præcepero illi: qui autem verba eius quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.

VI. Vaticinium de officio docendi assignato Messiæ Deut. 18.

Hoc cœleste oraculum ad unicum & solum Iesum Christum esse referendum, docet Stephanus Act. 7. multoq; clarius exponit Petrus Act. 3. Calvinus etsi concedit ad Christum etiam pertinere, ideoq; rectè à Petro in Christum conferri: tamen quod de SOLO Christo sit intelligendum pervicacissimè negat. Verba eius sunt hæc: Colli-

gimus

Calvin' in Deut. 18.

gimus in nomine Prophetæ esse enal lagen numeri. Nam quòd nonnul ad Iosuam, alij ad Ieremiam restrin gunt, prorsus insulsum est, quand hìc de continuo regendæ Ecclesiæ te nore disserit Moses, non autem rec tat, quid facturus sit DEVS ad bre ve tempus. NIHILO RECTIOR est eorum sententia, qui præcisè d solo Christo accipiunt. Nam illuc quod dixi, Dei consilium tenere cor venit, non relinqui Iudæis excusatio nem, si ad pythones vel magos de clinent, quia Deus nunquam eos de stituet Prophetis & Doctoribus Quod si ad solum Christum eos al legasset, in promptu erat exceptio durum esse, per duo annorum mill carere Prophetis & revelationibus *Hæc ille.*

At verò Petrus de SOLO Chri sto hæc enarrat, Act. 3. quando de h (Christo) omnes cæteros Prophet ipsumq; adeo Mosen concionatos r fert

fert. Quin restringit Petrus complementum, ut cæterorum vaticiniorum Propheticorum, ita singulatim huius Mosaici oraculi, ad Christi tempora, non ad antegressa secula, ut Calvinus opinatur. Ait enim: Quem oportet cœlum accipere usque in tempora restitutionis omnium, quæ (tempora) locutus est Deus per os omnium Sanctorum à seculo Prophetarum. Moses quidem ad Patres dixit: Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris mei similem. Audietis eum iuxta omnia, quæcunque locutus fuerit vobis. Futurum est autem, ut omnis anima, ἥτις ἂν μὴ ἀκούσῃ τοῦ προφήτου ἐκείνου, quæ non audierit PROPHETAM ILLVM, exterminetur è populo. Quin & omnes Prophetæ, à Samuele, ac deinceps, quotquot locuti sunt, annunciaverunt DIES HOS.

En tibi Divi Apostoli Petri concionem, qua vaticinium Mosis ad hæc tempora, & dies hos, Messiæ scilicet,

per-

perspicuè restringitur. Audis etiam quam emphatice Petrus urgeat singularem numerum, ut de uno quodam eximio Propheta, nempe Christo, sermonem institui declaret, Enallagen illam numeri, quam Calvinus urget radicitus evellens. In qua enim Grammatica ὁ προφήτης ἐκεῖνος, Propheta ILLE, æquipollet plurali numero, cum & articulus, ὁ, & insuper additum pronomen, ἐκεῖνος, δεικτικῶς ad unum planè singularem, eumq; eximium Doctorem, Christum videlicet restringat? Quod nemo, nisi vel Græcæ linguæ rudis, vel enormiter impudens, negaverit. Elumbis igitur est Calvini ratio de Pythonibus & Magis, quam suæ prætexit interpretationi. Solenne enim est Domino in Mose, nunc præcepta dare: mox subijcere promissionem: vel commonefactionem, vel etiam comminationem. Quæ omnia, diversa cum sint, sub easdem cogere velle circumstantias præposteri foret interpretis.

Prædi-

Prædixerat Dominus, non tantum fore Meßiæ officium, ut sit Propheta & Doctor populi: sed ipsum quoq; genus doctrinæ speciatim expreßit, quòd sit è sinu Dei prolaturus Evangelium salutis, & liberationem annumq; verè Iubileum gratiæ Dei sua voce prædicaturus. Sic enim hac de re iam olim vaticinatus erat. Esaias Propheta cap. 61. imò sic Meßias ipse loquitur: Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit me, ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domino. Hunc locum Christus Capernai in synagoga publicè de se interpretatus est, testificans ac dicens: HODIE impleta est hæc Scriptura in auribus vestris, Lucæ 4. Calvinus autem nil moratus expositionem Christi, ad Esaiæ locum hæc annotat: Quoniam Christus hunc locum de seipso exponit

VII. Vaticinium Esa. 61. de Evangelio per Christum promulgando.

nit Luc. 4. ideo interpretes sine controversia ad ipsum hæc constringunt. Sumunt autem hoc principium, induci Christum loquentem, quasi ipsi soli hæc omnia conveniant. Hoc rident Iudæi, quòd inconsideratè trahantur ad Christum, quæ aliis quoque Prophetis congruunt. Sic itaque sentio: hoc caput veluti sigillum addi superioribus, ut quæ hactenus dicta fuerant de restituenda Ecclesia Christi, confirmentur: atque in hunc finem testari Christum, se à Deo unctum esse: quo fit, ut sibi hoc vaticinium meritò accommodet. Nam quæ alij obscurè tradiderunt, clarè & apertè exhibuit. Sed hoc non repugnat, quin aliis quoque Prophetis, qui à Domino uncti sunt, conveniat hæc sententia.

Et in sequentibus Caluinus suum cachinnum cum Iudæorum risu coniungit.

Idcircò Calvinus id, quod additur (ad prædicandum mansuetis misit me) manifestè ad Prophetam refert hac apposita notatione; AD PRAEDICAN.

DICANDVM: Non prius vendicat sibi PROPHETA ius & autoritatem docendi, quàm ostenderit se à Domino missum esse. Autoritas in eo fundata est, quòd unctus, hoc est, necessarijs donis à Deo instructus sit. A nobis igitur non tanquam privatus homo, sed tanquam publicus minister è cœlo profectus audiri debet.

Iudicent piæ mentes, quid sentiendum sit de hoc genere commentationum, quo tàm audacter expositio Salvatoris, si non planè reÿcitur, at certè plurimum debilitatur iudicent; quantæ sit proterviæ, vaticinia ea, quibus officium filÿ sui unicè describit Deus, accommodare alÿs, atque sic incertitudinis ac dubitationis aculeum quendam legentium animis infigere.

Iam Zachariæ vaticinium de ingressu Christi in urbem Ierosolymam, concedit quidem in Christo suum esse sortitum complementum. Nec tamen temperare sibi per omnia potest ab illo *VIII.* Vaticinium Zachariæ de ingressu

Christi in urbē Ierof.

veteratorio lusu, & studio perverso, scripturas à proprio sensu flectendi ad peregrinum. Evangelistæ in verbis Zachariæ dicentis (Ecce, rex tuus venit tibi sedens super asinam & super pullum filium asinæ) vocabulum asinæ & pulli in propria significatione sumunt, absq; ulla prorsus ambiguitate, nec quicquam aliud intelligunt, quàm ipsam illam asinam mutuaticiam, cui Dominus Iesus insedit, unâ cum illius pullo. Sed quia Calvino hoc fortè nimis videtur abiectum & humile, ideo glossam aliam proferre libuit : Verum quidem est, *ait,* Prophetæ verba esse METAPHORICA: quum dicit, veniet Rex equitans super asinum, FIGVRATVS est sermo. Nam Propheta intelligit, Christum fore quasi obscurum hominem, qui sese non extollet supra communē vulgi modum : HIC EST GENVINVS SENSVS: verum est, sed tamen hoc non obstat, quò minus

Si hic est genuinus sensus, quem Calvinus ex præconcepta

Chri-

Christus etiam ediderit huius rei specimen, ubi asinum illum conscendit. Proferam simile exemplum: Cum Psalmo 22. dicitur: Miserunt sortem super vestes meas, certè etiam metaphora illic satis apparet, quòd hostes Davidis partiti fuerint eius spolia. Conqueritur ergò, prædones illos, à quibus iniustè deiectus fuerat, diripuisse suos honores, suas copias: & interim completum hoc fuit visibili modo, nempe ut crassissimi etiam quique agnoscerent, non frustra hoc totum fuisse prædictum. Nunc ergò intelligimus, quàm benè inter se hæc conveniant. METAPHORICE Prophetam loqui de contemptibili Christi specie: & tamen visibile Symbolum optimè quadrare, ut rudissimi quiq; agnoscerent, non alium sperandum esse Christum, quàm eum, qui apparuit tunc. *Vsque adeò Calvino penitus innata videtur illa prurigo torquendi Verbum*

metaphora extruit, Apostoli ergò à gemino sensu aberrarunt.

Nugatorium est, Davidem ibi loqui metaphoricè; quod infra docebitur.

Asinus, id est, contemptibilis species.

DEI, ut tropis suis, Metaphorâ cumprimis, in re tàm gravi & ardua, nihilo sanctiore mente ludat, quàm agyrtæ ludunt suis præstigijs & offucijs.

Vaticinia Vet. Test. de passione Christi.

SEquuntur *vaticinia de Passione & morte Christi. Atque hîc observandum ante omnia venit, Spiritum sanctum non modò typis sacrificiorum, serpentis ænei, & figuris alijs adumbrâsse venturi Messiæ passionem; sed claris insuper vaticinijs, & omnino ad Christum ceu principalem scriptionis Propheticæ scopum, in toto veteri Testamento collimâsse: cuius divini Spiritus afflatu sancti Prophetæ de ventura in nos gratia vaticinati sunt, inquit Petrus, scrutantes, ad quem aut cuiusmodi temporis articulum significaret, qui in illis erat Spiritus Christi, qui, priusquam acciderent, testabatur venturas in Christum afflictiones 1. Pet. 1. Christo certè omnes Prophetæ testimoniū perhibent. Act.*

Act. 10. & ut paulò prius ex ore Apostoli Petri didicimus, omnes Prophetæ annunciaverunt dies hos Messiæ, & quæ in illo essent eventura. Act. 3. In capite namq; libri scriptum est de illo, ut faciat voluntatem Dei Psalm. 50. subeundo videlicet passionem & mortem crucis. Unde de ventura sua passione & morte testificans Apostolis, ait, Hierosolymis impletum iri ea omnia, quæ prædicta sint per Prophetas de filio hominis Luc. 18. Et in horto iubet Petrum recondere gladium in vaginam; posse enim se, si expediat, orare Patrem, ut mittat duodecim legiones angelorum, ne tradatur Iudæis. Sed oportere impleri Scripturas Luc. 22. Et post resurrectionem ostendit discipulis ex Mose, Psalmis & Prophetis, oportuisse Christum sic pati & intrare in gloriam suam Luc. 24. aperiens eis scripturas, quæ scripta erant de se, ibid. Quin Apostoli quoq; in Actis ex Scriptura Prophetarum Iudæis mon-

ſtrant, Ieſum illum crucifixum eſſe Chriſtum. Hæc in arce memoriæ locentur, ut firmum fixum ſtatuamus, Prophetas vaticiniјs ſuis cùm perſpicuitate claris, tùm numero benè multis, non obiter aut παρέργως, ſed ſtudio ſupremo & ex profeſſo planè diſſeruiſſe de paſſione & morte venturi Meſſiæ. Quod cum ex his iam dictis indubitatò conſtet: damnandum meritò eſt maleferiatum ſtudium Calvini, quo caliginem Iudaicarum tenebrarum ſacroſanctis ијs oraculis offundere totis viribus enitur.

I. Vaticinium de paſsione Chriſti Gen. 3.

In prima ſtatim promiſsione Evangelica Geneſ. 3. vaticinium extare de paſsione Domini, cum dicitur ad antiquum Serpentem Diabolum: Et tu vulnerabis calcaneum eius, indicatum ſuprà eſt. Quibus verò nebulis id obtenebretur eluſoria πανουργία Calvini, itidem eſt demonſtratum.

II. Vaticinium Za-

Vt autem in excutiendis ſanctorum Prophetarum vatidicis concioni-

bus

bus ordine procedamus; sequemur seriem ipsius historiæ passionis, ut eam Spiritus sanctus per Evangelistas in Novo Testamento curavit describendam. char. 13. de fuga discipulorum.

Principiò Salvator clarissimis verbis denuncians Apostolis, futurum, ut ea nocte, quæ passionem proximè præcedebat, ab ipsis deseratur, allegat Scripturam Propheticam: Scriptum est enim, inquit, Percutiam Pastorem, & oves dispergentur: non obscurè docens, Prophetam Zachariam in Spiritu illam discipulorum fugam ac desertionem Domini sui prænunciasse, ideoq; certò in eis completum hoc iri, quicquid tandem Petrus & reliqui contradicant Et certè si verba Prophetæ pensitentur, obvium est cognoscere, ad unguem ea cum ipso rerum eventu congruere. Concio Zachariæ talis est: Expergiscere, gladie, super pastorem, & super virum mihi cohærentem; percute pastorem, & dispergentur oves. Ni-

mirum agit de Pastore, non pastoribus, quod etiam adiectum nomen (virum) indicat, unum quendam, eumq́; minimè vulgarem Pastorem quasi digito Prophetæ connotans: & quidem Pastorem singulatim eum, qui Deo intimè cohæreat, eiq́; proximus sit: quæ luculenta periphrasis est non gregarij Pastoris, sed eius solius, qui κατ᾽ ἐξοχὴν Pastor in Scriptura nominatur, qui est filius Dei, Dominus Iesus Christus.

Hæc nulla sophistica quàmlibet ingeniosa possunt eludi. Et debuit urgentißima hæc ratio, emphatica notatio, planeq́; demonstratoria periphrasis, ut & Salvatoris irrefragabilis exegesis, monere Calvinum, ne aliò, quàm ad principem Pastorum, Dominum Iesum, Zachariæ verba transferret. Sed ille nec Prophetam sui ipsius interpretem, nec Christum moratus quicquam ita scribit in suo Commentario: Nostri ferè omnes restringunt hunc locum ad personam Christi, quia Matth.

Matth. 26. citatur ſententia illa, Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves. Sed non videtur ſolida eſſe ratio, quia quod de paſtore dicitur, potius extendi probabile eſt ad ipſum ordinem totum: quemadmodum ubi dicit DEVS, Prophetam excitabo vobis è medio veſtrum, certè illic non fit mentio unius Prophetæ ſolùm, ſed complectitur DEVS omnes Prophetas: ac ſi diceret, Nunquam deſtituam vos ſalutis doctrina, & ſingulis ætatibus oſtendam, me gerere curam veſtri; quia ſemper aderunt Prophetæ, quorum ore declarem, me vobis eſſe propinquum.

Nimirum quale Thema eſt, talis eſt eius quoque probatio Thema notoriè falſum eſt, (verba Zachariæ ad totum ordinem Paſtorum eſſe extendenda) argumentis immotis & in æternum irrefutabilibus modò iugulatum.

Probatio porrò Calvini petitur ex

æquè falsa hypothesi, qua vaticinium Mosis (Prophetam suscitabo vobis) pari modo non ad Christum solum referri, sed ad omnes Prophetas extendi somniat: quod commentum Petrus Apostolus paulò antè concione sua protriuit & comminuit.

Quanquam autem velit Caluinus dictum Zachariæ primò de Christo intellectum, de cæteris Doctoribus secundariò: tamen ad fidem nostram contra Iudæorum blasphemias firmandam præcipuum robur infringitur, quamprimum non unicè aptatur Christo, sed ad totum ordinem glossa nimis generali porrigitur.

III. Vaticinium Zachar. 11. de triginta argenteis. *Iam quomodo triginta argenteorum precio tradendus esset Dominus, Zacharias illustrissima concione sic per circumstantias expreßit, ut eius rei non vates, sed* αὐτόπτης *fuisse videatur. Concio Prophetæ sic habet: Et dixi ad eos: si bonum est in oculis vestris, afferte precium meum: sin minus,*

nus, quiescite. Et appenderunt precium triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: proÿce illud ad figulum. Egregium precium, quo appreciatus sum ab eis. Et tuli argenteos triginta, & proieci illos in domum Domini, ad figulum. Hæc & clara sunt per se: & Matthæus Evangelista cap. 26. huius prophetiæ luculentus interpres est, tum illam impletam referens, quando Iudas triginta argenteos, precium venditionis Christi, proiecit in domum Domini, qui postea figulo pro emptione agri ad sepulturam peregrinorum sunt tradita.

Operæpretium autem est audire & Calvinum, quo pacto is Prophetæ sensum reddiderit. Is paraphrasin affert totam oppletam atra fuligine & caligine cæcitatis & amentiæ Iudaicæ. Sic enim spiritu soporis inebriatus incespitat: Iam addit aliud crimen Deus, quo detegit populi malitiam, quoniam ferè unius festucæ pretio æstima.

ſtimaverint, quicquid inſumſerat laboris. Prius conqueſtus eſt de ingratitudine: ſed hinc melius detecta fuit improbitas populi & flagitium, quòd ita vilipenderint inæſtimabilem Dei gratiam erga ipſos. Huc ergò pertinet, quod nunc dicit Propheta, Deum poſtremò tentâſſe, an ſua beneficia pretij aliquid haberent apud Iudæos: ſed fuiſſe tunc palàm compertum, quicquid impenderat operæ & laboris, fuiſſe malê locatum & perditum. Quòd autem nunc in ſua perſona loquitur Zacharias, nunc verò Deum loquentem inducit, heri diximus, hoc ad rem parum facere, quoniam hic deſcribit duntaxat, quàm turpiter abuſi fuerint Dei gratia Iudæi, & quàm iniuſtè eam contempſerint. Interea autem loquitur ipſe quaſi Dei miniſter; quoniam non modò per ſe gubernavit Deus populum illum, ſed inſtruxit virtute Spiritus ſui multos miniſtros, qui obirent paſto-

rum

rum munus. Dicit ergò se venisse, (& hic sermo propriè in Deum competit) ad populum, & flagitasse mercedem: DATE, inquit, si ita videtur, mihi mercedem: sin minus, desistite. hîc exprimit summam indignationem: quemadmodum si quis exprobret malitiam & ingratitudinem proximo suo: Agnosce beneficium si voles: sin minus, mihi perierit: ego non curo: ego video te esse nebulonem, qui indignus fueras, quem ego tàm liberaliter tractarem. Ego igitur nihil moror tuas compensationes; sed interea tuum erat videre, quid mihi deberes. Sic etiam stomachosè loquitur DEVS hoc loco: Date saltem mercedem, ne gratis vobis servierim: abusi estis meo labore: ego sustinui multas iniurias & molestias in vobis regendis: quæ erit compensatio solicitudinis? nempe qualis decet Hypocritas & ingratos, qui erga benemeritos contumeliosi sunt. Equidem non moror

ror mercedem, quia etiam non sum mercenarius. Postea addit, dedis triginta argenteos. Non dubium est quin hoc commemoret pretium qua vile, ac si vellent tot & tàm inæstimabiles Dei gratias compensare vili pretio: quemadmodum si quis conduxerit subulcum aut colonum aliquem dabit vile pretium: Sic etiam dic Propheta, Iudæos egisse cum Deo. Interea per vile pretium, quod bubco dignum esset, intelligit frivolas nugas, quibus putabant Iudæi se posse satisfacere Deo. Scimus enim, fuisse admodum sedulos in suis Ceremonijs. Quasi verò hæc compensatio apud DEVM quicquam valeat. Requirit cordis integritatem: & ideo addicit, ut vicissim nos possideat. Hoc igitur erat pretium laboris, quòd Dominus fuerat meritus: hæc erat iusta merces, si se in obsequium totos Iudæi addicerent eius verbo. Quid autem? nempe defuncti sunt Ceremo-

Mercedem 30 argenteorum planè figuratè exponit.

nijs & alijs frivolis rebus. Fuit igitur hoc ſordidum munus, quaſi vellent rependere mercedem alicui ſubulco. Ideo adiungit: Dixit mihi Iehova, proijce hoc ad figulum: hæc ſcilicet digna eſt mea merces? Proijce ad figulum, ut emat ſibi lateres vel tegulas ad reficiendum templum: ſi quæ ſint ruinæ in templo, emat ſibi tegulas inde ſigulus, aut quiſpiam alius artifex ignobilis habeat ſibi tale pretium. Nam Ironicè poſtea vocat magnificentiam & gloriam pretij, quo eſtimatus eſt: hæc ſcilicet gloria eſt mei pretij: cum ego tot moleſtias pertulerim, iam agunt mecum, perinde ac cum aliquo ſordido bubulco. Ego tamen eram ipſorum Dominus & Paſtor. Ergo cum velint ita fucosè mihi ſatisfacere, hic etiam per contumeliam obtrudunt mihi vile pretiū, quaſi deijcerent meam gloriam, vel conſpuerent in faciem meam: proijce, proijce ad figulum, inquit; hoc eſt,

Hæc de figulo e-mente ſibi lateres ad tēplum, ubi legit Calvinus? forte in Judæorū Thalmud.

Quàm hæc ſunt omnia contorta?

ręſi-

reficiant templum Dei, in quo perinde sibi placent, ac si essent in cœlo. Sed templum illis est Idolum: quia Deus nunquam propinquus erit, dum ita hypocriticè cum ipso agent. Reficiant igitur ruinas templi sui, & solvant figulo precium, quia ego non patiar, tàm contumeliosè mihi precium mea maiestate indignum obtrudi. Nunc teneмus consilium Prophetæ: ac primò illud, quod dixi, memoria tenendum est, hîc narrari, quàm desperata fuerit populi improbitas, quòd reiecti à Deo, & confracta eius virga, tamen pro nihilo duxerint, quas experti fuerant, eius gratias. Quare? putarunt enim Deo satis superq; præstari, si eum colerent externis nugis; quoniam Ceremoniæ sine pietatis sensu duntaxat frivolæ nugæ sunt coram Deo. Hoc ergò nunc urget Propheta, quòd Iudæi malignè sepelierint Dei beneficia, quibus tamen eos ita obstrinxerat sibi, ut non essent solvendo,

Hoccine est tenere consilium Prophetæ?

vendo, & eadem etiam ratione subij=cit: proijce ad figulum. Testatur enim sibi hæc nullius precij esse, imò se abominari mercedem, quam volunt rependere homines; ubi scilicet tàm contumeliosè cum ipso agunt, si=cuti alibi dicit, sibi esse fastidio apud Esaiam. Ego nauseo ad vestros festos dies: quid calcatis quotidie pavimen=tum templi mei? Deinde perinde est, qui bovem mactat, ac si occideret hominem, Deus ergo omnibus illis locis ostendit, quemadmodum nunc apud Zachariam, sibi summæ abo=minationi esse sacrificia, quæ offe=runt impij homines, & Hypocritæ, sine aliquo affectu pietatis. Quare? nam hæc est summa contumelia, quã inurunt reprobi, quasi sputis fœda=rent eius faciem, ubi scilicet eum comparant vel figulo vel bubulco, & non cogitant quid pretij mereatur, nempe ut se totos illi consecrent & verè addicant absq; simulatione. Vbi

igitur ludunt homines cum Deo, & putant ipſum oblectari frivolis nugis, comparant eum, quemadmodum dixi, vel bubulco vel opici gregario & ignobili. Hoc autem opprobrium non poteſt ferre, & meritò tàm graviter hîc ſtomachatur per Prophetam ſuum. *Hactenus Calvinus.*

Triginta argenteos intelligit ipſe de mercede hypocritica, qua populus voluerit Domini labores & gratias compenſare. Hanc rurſum dicit eſſe externas ceremonias, ſacrificia &c. Quo autem argumento fidem facit huic ſuæ gloſſæ tàm violentæ? Nimirum αὐτός ἔφα *Pro authentico igitur habendum ipſius effatum, quicquid reclamet Evangeliſta Matthæus. Iam quæ affert de figulo ſuo, & ſubulco & opifice ignobili & gregario quàm non ſpirant Propheticam huius loci intelligentiam, ſed fimetum olent planè Iudaicum? Cumprimis autem obſervatu dignum eſt, quod 30 argen*

argenteos, quos tamen metaphoricè dicit esse Ceremoniarum nugas, fingit ad figulum projici debuisse, ut is emat inde sibi lateres vel tegulas ad reficiendum templum. O Iudaicam cæcitatem, ô tenebras plus quàm Aegyptiacas. Scriptura Novi Testamenti, citans hæc, ait, datum esse precium 30. argenteorum figulo pro venditione agri ad sepulturam peregrinorum. Sed hæc expositio Evangelistæ nimis est usu trita. Cudenda igitur fuit nova, de figulo emente tegulas ad Templi ruinas instaurandas, & quidem ex 30. argenteis, non propriè, sed metaphoricè, aut si mavis allegoricè acceptis.

Dices fortè mihi, in sequentibus tamen sui Commentarij Calvinum approbare Matthæi Evangelistæ ἐξήγησιν*? Respondeo, hoc est, quod diximus aliquoties, Calvinum hunc servare ordinem in explicandis Prophetis, ut eorum vaticinia primò iudaicis glossis probè retundat, & aciem illorum hebetet,*

betet, & nervum argumentationis adversus infideles incidat, & imum fundamentum labefaciat, per strophas mirabiles, & mille spinis obsitas & intricatas detorsiones, id est, per tropos rum & figurarum, cumprimis autem adamatæ metaphoræ suæ præstigias. Cumq; iam pristinus ille propheticorum oraculorum vigor atq; robur ad redarguendos Iudæos emarcuit: tum demum admiscet aliquid de eo sensu, quem assignatum videt ab Evangelistis & Apostolis; ita tamen, ut regnet & emineat tanquam principalior magisq; proprius is, quem Calvinus iubet esse proprium. Sesnus verò, ab Apostolis redditus, sit quasi πάρεργον.

Videamus autem, quomodo Calvinus approbet Evangelistæ citationem illam. Tota summa huc redit, quòd hactenus congruat illud Zachariæ cum Matthæo, quatenus Deus in Christi persona voluerit exhibere visibile specimen & symbolum eius, quod

quod Propheta figuratè sub lege factum esse docuerit. *Sed respondeo: primò Calvinus pro confesso sumit id, quod Matthæus Evangelista non largitur, nimirum figuratè ibi loqui Dominum, & per 30 argenteos notare hypocriticos Hebræorum cultus, quibus Domino sua voluerint probare obsequia.*

Deinde si huius rei, quam Zacharias refert, oportuit visibile extare symbolum in Christi persona: cur non reliquarum etiam, quæ unquam uspiam in Veteri Testamento inter Dominum eiusq; populum evenerunt? Et quàm pulchrè incedit applicatio Calvini, his concepta verbis: Postea adiungit Matthæus: dederunt in agrũ figuli, sicut mihi Dominus præceperat. Hæc etiam pars optimè respondet vaticinio, quoniam certum est, non fuisse data opera vel consultò pecuniam illam locatam in agro emendo, ut Iudæi parerent mandato Dei.

Sed ſcimus, Deum exequi ſua decreta per impios, etiamſi nihil tale aut velint aut cogitent. Quid autem Zacharias noſter? proijce, inquit, ad figulum. NON dicit: AD AGRVM figuli. Sed expoſuimus, quo ſenſu iubeat Deus triginta argenteos proijci ad figulum, nempè ut emantur lateres vel tegulæ ad ruinas Templi obtegendas. Et hoc contemptim ac per ludibriũ dicitur. Sic etiam viſibile huius rei ſymbolum fuit in emptione agri.

Hîc te per Deum quæſo, Lector Chriſtiane, ut, quæ monebo, diligenter apud animum expendas tuum. Perſonatus ille figulus, qui tegulas & lateteres emere fingitur ad inſtaurationem Templi, ignotus eſt Zachariæ vaticinanti, ignotus etiam Evangeliſtæ Matthæo interpretanti iſta. Zacharias, teſte Matthæo, loquitur de figulo, vendente agrum Sacerdotibus, pro 30 argenteis, à Iuda in domum

Domini

Domini proiectis. Hunc figulum reijcit Calvinus, & in eius locum substituit alterum suum larvatum, qui tegulas emat. Sic enim scribit impudentissimè: quid autem Zacharias noster? Proijce, inquit, ad figulum. NON dicit AD AGRVM figuli *(audi, beatissime Evangelista, tibi in os obloquentem Calvinum)* sed exposuimus *(ait hic Aristarchus)* quo sensu iubeat Deus triginta argenteos proijci ad figulum: NEMPE VT EMANTVLAR TERES VEL TEGVLÆ ad ruinas templi obtegendas. *Vbi hoc scriptum est, Calvine?*

Et quia hîc quoque circa mentionem figuli sui scribit Calvinus de visibili imagine, quam Deus extare voluerit; respondeat ipsius loco Paræus, qua in re Calvini figulus, tegulas emens ad reficiendum Templum, sit imago alterius illius, cuius Evangelista Matthæus meminit? Quid enim agro commune vel cum tegulis vel

cum templo? quia venditioni agri cum reparatione templi? Adhæc personatus ille Calvini figulus facit contra morem cæterorum figulorum. Figuli enim non solent emere vel lateres vel tegulas, sed conficere & confectos divendere. Hic verò, ex argilla & luto fictus & factus figulus Iudaicus, non conficit tegulas, ut vendat, sed emit illas, pro triginta argenteis. Aut num putabimus, Calvinum voce figuli designare opificem à laterario diversum, ita ut figulus, qui aliàs circa ollas, urceos & amphoras, & non circa lateres & tegulas occupatus erat, iverit ad laterarium, eiq; triginta argenteos numerarit pro tegulis illis & lateribus? Atqui hoc commento persona in proscenium erit producenda nova, laterarij videlicet, ut compleantur actus & scenæ huius fabulæ. Sed de hac corruptela Calvini satis.

Descendo ad ea, quæ in Palatio Pontificis & prætorio Pilati perpessus Domi-

Dominus noster: puta quòd illusus, contumeliis affectus, consputus & flagellis cæsus est. Hæc Esaias cap. 50. perspicuo vaticinio complexus est: Dominus Deus aperuit mihi aurem. Ego autem non contradico, retrorsum non abij. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus in me. Dominus Deus auxiliator meus. Ideò non sum confusus. Ideo posui faciem meam ut petram durissimam, & scio, quoniam non confundar. Ad hoc vaticinium absq; dubio respexit Dominus, cum ait, de filio hominis prædictum esse, fore, ut illudatur, contumeliis afficiatur, conspuatur & flagelletur. Hæc autem Calvinus ad Esaiam ipsum, quàm ad Christum applicare maluit, scribens: símulatq; Esaias se mandato Dei obtemperasse dicit, adiungit, etiam corpus suum percutientibus expositum fuisse. *Ita mavult hîc quoq; cum Rab-*

IIII. Vaticinium Esa. 50.

binis ἰδιάζειν, quàm sentire & facere cum domesticis Ecclesiæ Scriptoribus.

IIII. Vaticinium Psalmi octavi de exinanitione Christi tempore passionis.

Ad passionem Domini Iesu prænunciandam spectat etiam quintus & sextus octavi Psalmi versiculus, describens nobis Christi ad mortem crucis usque exinanitionem: Quid est homo, quòd memor es eius, & filius hominis, quòd visitas eum? Quia minuisti illum paulò minus ab angelis. Quo de sensu tantò minus ambigitur, quòd quæ sequitur Exaltationis descriptio (Gloria & honore coronasti eum, constituisti eum super operum manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius) per allegationem beatorum Apostolorum in Christum liquidissimè confertur 1. Cor. 15. Eph. 1. & Heb. 2. Vnde præcedens quoq; status exinanitionis ei adscribatur necesse est. Estq; Christus tempore passionis suæ diminutus infra angelos, adeò, ut etiam angelorum ope ad consolationem suam egeret in horto, Luc. 22. & in cruce

cla

clamaret: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? Ideoq; Autor Epistolæ ad Hebræos cap. 2. hæc docet in Christi personam & passionem competere. Dicit enim: Non angelis subiecit orbem terræ futurum, de quo loquimur. Testatus est autem alicubi quidam, dicens: Quid est homo, quòd memor es eius, aut filius hominis quòd invisis illum? fecisti illum paulisper inferiorem angelis &c. Et paucis interpositis: Eum verò qui paulisper diminutus fuerat infra angelos, cernimus Iesum gloria & honore coronatũ.

Hanc Apostoli allegationem quanti æstimet Calvinus, apparet ex ipsius sive commentario sive commento super istum versiculum: Nam ut omittam, quòd pro angelorum vocabulo substituit nomen Dei: certè hoc flagitium in æternum excusari nequit: quòd contra scopum Psalmistæ, contraq; allegationem Apostolicam Epistolæ ad Hebræos, audet ad præstantiam

am hominum torquere, quod Apostolus non ad præstantiam, sed imam exinanitionem, non hominum, tanquam plurium, sed unius hominis Iesu Christi palàm refert.

Calvini glossema hoc est; ac primò quidem tot decoribus ornatos *(homines)* esse dicit, ut eorum conditio divina & cœlesti gloria non longè sit inferior. *Nimirum paululùm minui à Deo, Calvino est idem, quod non longè esse inferiorem divina cœlestiq; gloria. Quod de hominibus ex sententia Calvini generatim intellectum, ut ad scopum verborum Davidicorum quadrat nihil, sic est per se etiam notoriè falsum & impium, nedum ut sancto Prophetæ talis impingatur assertio. Siquidem hominum conditionem non longè esse divina inferiorem, nullus omnium Prophetarum concesserit: qui potius tradunt, omnes habitatores terræ apud Deum ut nihilum reputari Dan. 4. omnesq; gentes quasi*

NON

NON SINT, ſic eſſe coram eo, & quaſi NIHILVM & inane reputatas eſſe, Eſa. 40.

Eiuſdem farinæ ſunt, quæ nonnullis interiectis ſubiungit: In nodo, *inquit,* altero ſolvendo plus eſt difficultatis. Nam cum hîc de præſtantia HOMINVM diſſerat Propheta, & dicat, EOS AD DEVM PROPE ACCEDERE: Apoſtolus ad Chriſti exinanitionem TRAHIT. Primò videndum eſt, qui conveniat, quod de TOTO HVMANO GENERE dictum eſt, Chriſti perſonæ aptari. Nota verbum TRAHIT.

Paulò poſt etiam canino dente arrodit Apoſtoli allegationem, ſcribens: Quod de brevi abiectione deinde tractat Apoſtolus, NON eſt exegeticum, ſed κατ᾽ ἐπεξεργασίαν ad ſuum inſtitutum DEFLECTIT, quod ALIO SENSV dictum fuerat. Neque enim dubitavit Paulus hoc modo PER AMPLIFICATIONEM

NEM ornare Mosis verba, ubi dicit, quis ascendet in cœlum &c. Non ergò tantum spectavit Apostolus, QVID DAVID SENSISSET, verùm ad nomen diminutionis & decoris ALLVDENS, illum in morte Christi, hoc in resurrectione constituit. Eodem ferè accedit expositio illa Pauli ad Ephes. 4. b. 8. qua locum Psalmi 68. d. 19. NON tàm INTERPRETATVR, quàm pia DEFLEXIONE ad Christi Personam accommodat.

Hîc verò rursum ille Doctor Doctorum, nugatoriam suam & impiam glossam præferre audet Apostolicæ declarationi, & quod Apostolus uni Christo accommodat, porrigere non veretur ad totum genus humanum: quod de exinanitione dixit Apostolus, gestit Aristarchus noster in contrarium planè sensum rapere & interpretari de præstantia.

Considerent piæ mentes, quæ tandem

dem reliqua mansura sit Scripturæ sacræ certitudo, si in investigando scriptorum Propheticorum sensu fuerit Calvini potius standum iudicio, quàm Apostolorum? Si tum etiam, quando ex Prophetis aliquem Articulum fidei Christianæ fundare volunt Apostoli, putandi erunt non explicare Prophetas, sed illorum dicta κατ᾽ ἐπεξεργασίαν ad suum institutum DEFLECTERE, quæ tamen in Prophetis ALIO dicantur SENSV? Si in allegandis Prophetis PER AMPLIFICATIONEM ornare illorum verba putantur: Si non tantum spectant, quid Prophetæ senserint, sed quomodo interdum ad certas illorum voces ALLVDI poßit: Si deniq; putandi sunt non tam interpretari Prophetarum verba, quàm ea per piam DEFLEXIONEM ad aliquid aliud accommodare? Sic enim non Iudæis tantùm mille patebunt rimæ ad effugia: sed lata quoq; sternetur via ad invehendum orbi

Chri-

Christiano sceleratas Epicuraeorum opiniones, quibus, an aliqua sit Scripturæ certitudo, disceptetur impiè, præsertim in hoc divortio sententiarum, quo ab Apostolis Prophetæ, & ab his rursum Apostoli, si Calvino fides habeatur, sensu deflectant & dissideant. Pòrrò quid de corruptela Psalmo 68. aspersa à Calvino, sentiendum sit; non hîc laboro, sed paulò post dispiciam.

VI.
Vaticinium Psalmi 22.

Nullum extat vaticinium de Passione Christi luculentius in toto veteri Testamento, quàm est Psalmus 22. Ex quo citra controversiam evicit Dominus apud Apostolos, oportuisse se ita pati. Scribitur enim non tantùm ex Mose & Prophetis, sed etiam ex Psalmis testatum reddidisse, fuisse passiones illas à Deo sic decretas & prænunciatas Luc. 24.

Certè David Christum in cruce pendentem adeò graphicè depingit, ut vix Evangelistæ in narratione eventus

tus agant de tantis rebus illustrius. Memoratur initiò vox Domini Iesu, quam expressit ei tentationum, terrorum & angustiarum infernalium sensus & magnitudo, cum iam ferè morti vicinus exclamat: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? qui primus est Psalmi huius versiculus. Exprimitur ipsius in cruce suspensi abiectissima facies: Ego autem vermis sum & non homo, Vermem se vocans, ænei serpentis à ligno suspensi similitudine præfiguratum. Notatur extremus ipsius contemptus: factus sum opprobrium hominum & abiectio plebis. Omnes videntes me, deriserunt me; locuti sunt labijs, & moverunt caput. Recensentur voces Sacerdotum cæterorumq́; hostium eius, quibus ei cum morte luctanti insultàrunt acerbissimè: Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, si vult eum. Designatur ipsum genus supplicij, nempe crucifixio, in qua manus & pe-

des clavis transverberari solebant, totumq́ corpus alicuius sic expandebatur, ut omnia eius ossa numerari possent. De hoc ait in Psalmo Filius Dei: Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Imò divisionem illam vestium Christi, Propheta regius in Spiritu non velut eminus prædicit, sed quasi cominus intuetur. Ideoq́ Messiam introducit de his ita conquerentem: Ipsi consideraverunt & aspexerunt me (scilicet in cruce pendentem) diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Quam scripturam Matthæus & Iohannes tum impletam asserunt, cum milites, qui crucifixerant Dominum Iesum, vestimenta eius inter se partiti sunt, & super tunicam inconsutilem eius sortem nefariè miserunt. Autor etiam Epistolæ ad Hebræos Psalmi huiusce versiculum 23. (narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te)

citra

citra cunctationem enarrat de Christo, hoc modo: Qui sanctificat & qui sanctificantur, ex uno sunt omnes. Quam ob causam non erubescit fratres illos vocare, dicens: Annunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.

Debebat igitur ex allatis tot argumentis apud omnes Christianos extra controversiam esse positum, Psalmum istum non aliò spectare, quàm ad prædicandam passionem, crucifixionem & mortem Messiæ. At verò Calvinus his omnib. superbissimè spretis, propriè de Davide, non de Christo exponit, & postea demum, cum imam basin vaticinij lubricis suis ac tropicis elusionibus concussit, παρέργως refert ad Christum, sacrosancti oraculi veritatem hostibus deploratissimis Domini nostri Iesu Christi, Iudæis, ita prodens, sic ἐλεγκτικὴν huius Psalmi δύναμιν enervans, ut nobis Christianis, ad Iudæos refellendos, tantisper

usui esse nequeat, donec Calvini perversiones ex Ecclesiæ agro proscriptæ, & ad primum illarum autorem relegatæ fuerint.

Attendamus quæso, ut torqueat sese, & in gyros convolvat coluber iste. Versiculo: Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea; hoc assuit glossema: Si Davidem obijciant nunquam fuisse cruci affixum, facilis solutio est; METAPHORICE conquestum esse, non secus se astringi ab hostibus, quàm qui perfossis manibus & pedibus ad lignum affigitur: quales etiam, *inquit*, METAPHORÆ paulò post occurrent. *Ad versiculum: Diviserunt sibi vestimenta mea & super vestem meam miserunt sortem, hæc allinere ei visum est:* Quod proximo versu de vestibus sequitur, TRANSLATITIVUM est. Perinde enim ac si dixisset, fortunas omnes suas in prædam esse expositas,

Apagesis cum tua Metaphora.

ut ſolent victores vel ſpolia dividere, vel inter ſeſe ſortiri, quod cuique obtingat.

Hoccine verò humanum factum aut inceptum? hoccine officium Christiani interpretis? audere ſcilicet ſanctorum Evangeliſtarum & Apoſtolorum explicationem ocioſo animo negligere, & effingere talem, quam iures à cæcis Iudæorum Rabbinis in odium crucifixi nuper excogitatam, ad debilitandum robur tàm invicti teſtimonij, ne poſthac eius impetum reformidare auſint. Summa, quicquid dicant Evangeliſtæ, ipſe ſuam Metaphoram ſenſui Davidis congruentiorem ſtatuit, quàm Evangeliſtarum interpretationem. De illorum igitur allegatis ſic cenſet; Locus tamen, quem adducunt (Evangeliſtæ) ex Pſal. 22. videtur INTEMPESTIVE ad præſentem cauſam TRAHI. Nam cum illic queratur DAVID, ſe hoſtibus prædæ fuiſſe, METAPHO-

Calvin' ſuper 19. cap. Iohannis.

PHORICE sub nomine vestium sua omnia designat, ac si uno verbo dixisset, spoliatum se ac nudatum ab improbis fuisse. Quam figuram dum NEGLIGVNT Evangelistæ, à NATIVO sensu DISCEDVNT.

Nolo multis exaggerare hominis extremam impietatem cum intolerabili fastu coniunctam, quo sese supra sanctissimos Dei servos, Evangelistas & Apostolos, quasi illorum Censor efferre, suarumq́; metaphoricarum argutiarum nebulis, Soli veritatis æternam noctem offundere nihil extimescit.

Apertè dicam quod sentio, si Psalmus hic nativo suo & ad textum congruente sensu miserias Davidis enarrat, ad Christum verò non nisi per analogiam typi refertur, quatenus ut (Calvinus ait) eorum, quæ adumbrata sunt in Davide, visibile complementum cœlestis Pater in persona filij sui extare voluit: *actum est de propugnaculo Christianorum omnium firmissimo,*

mo, quo hactenus demonstratum contra Iudæos est, Davidem hoc toto Psalmo non de se, sed de Meßiæ paßionibus in Spiritu vaticinari. Arripient ergo posthac Iudæi sensum, quem Calvinus nativum nominat: ad alterum verò de Christo, tanquam improprium & à genuino sensu deflexum astringi nullis argumentis poterunt, præsertim si audiant, Evangelistas ipsos in nostris Ecclesiis hoc nomine perstringi, quòd neglecta Prophetæ Davidis figura à nativo sensu deflectant. Tu, Paræe mi, experire, quid hìc respondeas. Interim ad alia progredior.

Elegans extat Prophetia Esa. 63. de paßione Domini: Ibi namq; sub forma Dialogismi Propheta in Spiritu cum Christo sermocinatur; Quis, inquit, est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ? (Respondet Filius Dei) Ego, qui loquor Iustitiam, & propugnator

VI. Vaticinium Esa. 63.

gnator sum ad salvandum. (Quærit Propheta) Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? (Respondet Messias) Torcular calcavi solus, & de gentibus non est Vir mecum: Calcavi eos in furore meo, & conculcavi eos in ira mea, & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi.

Hæc non tantum pij interpretes sed ipse Iohannes in Apocalypsi manifestissimè refert ad Christum. Introducitur enim capite 19. Apocal. is, cuius nomen est λόγος Dei, vestitus VESTE TINCTA SANGVINE, è cuius ore procedit gladius ex utraque parte acutus, ut eo PERCVTIAT GENTES. Et ipse, inquit Apocalypsis, reget eas virga ferrea, & ipse CALCAT TORCVLAR vini furoris & iræ Dei omnipotentis. Palàm est, quòd veste sanguine conspersa cernitur indutus, quodq́ torcular iræ Dei calcare memo-

memoratur, non aliundè quàm ex hac Prophetia capitis 63. Esaiæ petitum esse.

His autem è conspectu longissimè semotis, Calvinus super Esaiæ verba longè secus scriptitat, nimirum: Hoc caput VIOLENTER TORSERVNT Christiani, quasi ad Christum hæc pertinerent: cum propheta simpliciter de ipso DEO pronunciet: atque FINXERVNT hîc rubicundum Christum, quod sanguine proprio madidus esset, quem in cruce fuderit. Atqui NIHIL tale vult Propheta. *Porrò id quod de calcato torculari proponit Esaias, idque Apocalypsis adscribit Filio Dei, Calvinus ait* RIDICVLVM esse referre ad Christum: *hoc pacto non tantum irridens Christianos, sed per illorum latus ipsius Iohannis autoritatem ludibriis exponens.*

Calvinus manifestus irrisor Christianorũ interpretum.

Pari impietate reprobat eorum sententiam, qui verba Esa. 43. cen-

VII. Vaticinium Esai. 43.

sent esse testimonium de fructu passionis Christi. Audiamus ipsummet loquentem Dominum: Servire me fecisti in peccatis tuis, laborare fecisti me in iniquitatibus tuis. Ego, Ego sum, qui deleo peccata tua PROPTER ME, & peccatorum tuorum non recordabor. Hic ante omnia observes velim loquentem introduci eum, PROPTER QVEM peccata nostra delentur. Propter solum autem Christum delentur peccata, universa scriptura teste. His indubitatò præsuppositis, quæritur, ecquis ille sit labor, quæ servitus, cuius obtutu nobis obtingat peccatorum venia? Expedita responsio assignatur in ipsis verbis Domini. Servitus est ea, qua servivit in peccatis nostris, labor is, quo laboravit in iniquitatibus nostris. Quando servitutem istam subijt, & laborem illum exantlavit? Hoc explicat idem hic Propheta cap. 53. ubi de passione Christi commentans ait: Vulneratus est propter iniquitates

tes nostras, attritus est propter scelera nostra. Et paulò post: Pro eo quod LABORAVIT anima eius, videbit & saturabitur. Infinitum foret, huc omnia referre, quæ cumulatè probant, tunc servijsse & laborasse Christum in peccatis nostris, quando servi forma sumpta Patri obediens factus est ad mortem usq; crucis, venitq; non ut sibi ministrarerur, sed ut ipse ministraret, daretq; animam suam redemptionem pro multis. Ergò simplicissima sententia est, Christum servitute suæ exinanitionis & obedientiæ, laboreq; passionum, crucis & mortis impetrâsse, ut propter ipsum peccata nostra deleantur oblivione sempiterna.

Calvinus ex professo sese huic sententiæ opponens, scribit: Qui hunc locum de Christo exponunt, sensum Prophetæ TORQVENT. Quare simplicior MIHI videtur hæc interpretatio. Conqueritur enim Dominus, quòd homines eum peccatis

suis

ſuis moleſtum onus ſubire coëgerint, qui tamen reverenter ſe ei ſubijcere debuiſſent. Nam cum inſurgimus adverſus DEVM, eum quaſi ſervum protervia & petulantia noſtra reddimus. Hoc autem melius exponit, cum ait, ſe laborâſſe, id eſt, varia tædia devorâſſe ob nequitiam populi ſui. Ipſum enim quodammodo vulneramus & configimus, ut inquit Propheta, cum reſpuimus ipſius vocem, neq; ab eo regi nos patimur. Alludere autem videtur ad id quod prius dixerat de tædio vel moleſtia populi in colendo Deo. Nam ex adverſo teſtatur Deus, multas ſibi à populo moleſtias exhibitas fuiſſe.

Rurſum ſua ſcelerata metaphora pervertit Scripturas.

Temeritas erat, abſq; cauſa diſcedere à communi ſententia, ſuis rationum columnis firmiſſimè conſtabilitâ: Audaciæ non excuſandæ eſt, Doctores alios rectius interpretantes ſcripturas, inciviliter adeò reprehendere; reijcere illorum veras & textui maximè

pro-

propriæ explicationes: ſupponere verò nothas, adulterinas, contortas, & à genuino ſenſu textus δὶς διὰ πασῶν diſcrepantes.

Deniq; excutiendum venit præclarum illud vaticinium de fructu paßionis & effuſionis ſanguinis Chriſti, quod Zachariæ 9. his refertur: Tu quoq; in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua. Quæ immediatè præcedunt (Ecce rex tuus veniet tibi iuſtus, & Salvator: ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinam & ſuper pullum filium aſinæ) Matthæus in Chriſto dicit eſſe completa. Quæ cohærent (diſpergam quadrigam ex Ephraim, & equum de Ieruſalem, & diſsipabitur arcus belli, & loquetur pacem gentibus, & poteſtas eius à mari uſque ad mare, & à fluminibus uſq; ad fines terræ) non obſcurè ſonant de pace ſpirituali, quæ per prædicationem Evangelij exoritura erat, tum de amplitudine regni

VIII. Vaticinium Zachar. 9.

Chriſti

Christi, eundem planè in modum, quo & Psalmus 72. regni Messiæ amplitudinem totidem penè verbis exponit. His nunc immediatè subiungitur: Tu quoq; in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.

Itaque cohærentia textus, ipsiusq; materiæ, qua de agitur, conditio & circumstantiæ poterant edocere Calvinum, Zachariam prædicare beneficium Messiæ, quòd sanguine SVI fœderis, fœderis videlicet ac testamenti NOVI, emittat vinctos suos, credentes in ipsum, è lacu infernali liberet à peccatis damnatione & inferno. Displicent hæc & sordent Calvino. Is itaq; pro sua sapientia sic exponit: Latini & Græci fuerunt decepti ambigua loquendi forma, & putarunt hæc verba dirigi ad Christum, quasi eduxerit vinctos suos è puteo profundo. Sed DEVS ECCLESIAM suam alloquitur: quasi diceret; Heus tu,

Et

Et particula כם emphatica eſt, quaſi diceret: video non multum me proficere apud vos, quia eſtis quodammodo attoniti malis veſtris; deinde nulla ſpes vos recreat, quoniam putatis vos eſſe quaſi centum mortibus obrutus. Ergo utcunq; hæc congeries malorum vel exanimet, vel ſaltem ita oppreſſos teneat, ut efficacia ſua careat quod dico, quamvis deniq; ſitis omnium miſerrimi, tamen redimam vinctos veſtros. Sed ſub victoris perſona Deus totam Eccleſiam compellat, ut diximus alijs locis. Dicit: in ſanguine fœderis tui. Non videtur hoc competere in Eccteſiam? Neque enim alius quærendus fuit author fœderis, quàm DEVS ipſe. Sed mutua eſt, ut ſcimus, relatio inter Deum & populum, ubi de fœdere agitur. Fœdus eſt DEI, quoniam ab ipſo manat: fœdus eſt Eccleſiæ, quoniam in gratiam Eccleſiæ percutitur, & quaſi deponitur in eius ſinu. Videmus ergò, quàm cõgruen.

gruenter loquatur Propheta, ubi dicit: Sanguinem fœderis Ecclesiæ non fore vanum. Et hæc doctrina melius penetravit in animos piorum, cum audirent, non modò divinum esse fœdus, sed etiam ipsius populi. Tu ergò in sanguine fœderis tui: Quidã ad circumcisionem hoc torquent, sed insulsè; quia non dubium est, Prophetam respicere ad sacrificia. Perinde est igitur, ac si diceret: Quorsum imolatis quotidiè victimas in Templo? Si putatis hoc modo coli DEVM, certè nimis crassa est, vel delira superstitio. Ergo mentes revocate ad ipsum finem, vel ad cœleste exemplar: quoniam Deus semel pollicitus est, se vobis fore propitium, dum expiabit unico sacrificio peccata vestra. In hunc etiam finem offertis sacrificia, & sanguis secum trahit expiationem. Nunc si sacrificia vestra neq; frustrà instituit Deus, neq; enim se reconciliat Deus hominibus, ut vel eos perdat ac redi-
gat

gat in nihilum, vel ut ſinat eos tabeſcere in morte ipſa. Quorſum enim Deus ignoſceret hominibus, niſi ut eos redimat ab interitu? Nunc ergo tenemus, cur ita ratiocinetur Propheta, á ſanguine fœderis ad ſalutem totius populi. Vos ergò quotidie offertis victimas, inquit, & ſanguis funditur in altari. Hoc Deus noluit fruſtrà fieri.

Quæ de Chriſto dicuntur ad Eccleſiam refert. Sanguinis vocem ad ſacrificiorum ſanguinem refert, qui in altari fundebatur: fœderis nomen ad antiquum illud fœdus, in quo Leviticorum ſacrificiorũ ritus agitabantur. Chriſti verò ſanguinem (quem ex profeſſo notat Zacharias) Calvinus parcè admodum attingit: & omnino reprehendit Latinos & Græcos interpretes, qui verba Prophetæ ſtatuunt ad Chriſtum dirigi.

Patet igitur ex hac enumeratione, quàm pauca vaticinia de paßione & morte Chriſti ſonantia nobis inte-

gra & incorrupta relinquat Calvinus, haud aliter, ac si Propheta de hoc primario capite doctrinæ cœlestis, in quo salutis summa reposita est, vix unquam ex professo scripserint aut egerint, sed ferè typos tantùm tractarint, aut genuino verborum sensu ad Davidem aut quemvis alium, anagogico verò & improprio, aut (ut Calvinus loquitur) subtilius deflexo sensu non nisi obiter & παρέργως & quasi aliud agendo ad Christum leviusculè respexerint.

Sequuntur vaticinia de resurrectione Christi.

E*Xaminemus verò etiam vaticinia Prophetarum de gloriosa resurrectione Christi ex mortuis. Est verò primarium hoc, quod Psalmo 16. legitur. Et de Christo ibi loqui Psalmistam, eò minori negocio probatur, quòd in Novo Testamento sancti Apostoli sic interpretati sunt. Divus Petrus quidem Actor. 2. hoc pacto: Providebam Dominum coram me semper, quia à dextris est mihi, ne commovear. Propter*

I. Vaticinium[1] Ps. 16.

pter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea: Insuper & caro mea requiescit in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec sines, ut sanctus tuus videat corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, replebis me iucunditate cum facie tua. Hactenus verba Psalmi citata à Petro. Nunc audiamus accommodationem eius: Viri fratres, quandoquidem liceat liberè dicere apud vos de Patriarcha Davide, quod & defunctus est, & sepultus est, & sepulchrum eius est apud nos, usque in hodiernum diem. Propheta igitur cum esset, & sciret, quod iureiurando iurasset sibi DEVS, futurum, ut de fructu lumbi ipsius, quantum ad carnem, Christus exoriretur, ac sederet super sedem eius; præscius locutus est DE RESVRRECTIONE CHRISTI, quòd non derelicta sit in inferno anima eius, neque caro eius viderit corrutionem.

Non minus evidenter exponit hæc Apostolus Paulus Act. 13. Probaturus enim Iudæis resurrectionem Christi ex mortuis ait: Quòd autem suscitavit eum (DEUS) à mortuis, iam non amplius reversurum in corruptionem, ita dixit: Dabo vobis David fidelia. Ideò & aliàs dicit: Non permittes, ut sanctus tuus videat corruptionem. Nam David quidem cum suæ ætati inservisset consilio DEI, dormivit & appositus est ad Patres suos, VIDITQUE CORRUPTIONEM. At is, quem DEUS suscitavit, non vidit corruptionem.

Fidelia, id est, quæ Davidi de Mesia sanctè promisit Deus.

Hîc notetur quòd Apostoli disertè confirmant, Davidem, PROPHETA cum esset, PRAESCIUM locutum esse de resurrectione Christi. Deinde quòd uterq; Apostolus testatur, Davidem ibi non de se locutum, ut qui viderit corruptionem, sed vaticinatum esse de quodam, qui iuxta tenorem huius oraculi corruptionem videre

re

dere non debuerit, qui sit Christus. Hæc ita sunt perspicua, ut eorum lucem ne quidem Stropharum omnium Pater Diabolus omni sua infernali Sophistica obnubilare valeat. Et debet meritò nobis unanime hoc testimonium duorum maximè insignium Apostolorum esse sacrosanctum. Proinde si Calvinus esset DEI servus, ut ipsum prædicant eius discipuli: nunquam in animum duxisset vel tantillum ab unico hoc simplicique sensu, quem Apostoli prodiderunt, deflectere. At is persuadere conatur suis hominibus, Davidem de se esse locutum, quod tamen Petrus & Paulus pleno spiritu refellunt. Verba illius recognoscamus: Porrò notandum est, DAVIDEM non de certa aliqua specie liberationis restrictè loqui (quemadmodum Psalmo 49. v. 16. redemit DEVS animam meam è manu sepulcri & alijs similibus) sed æternæ salutis fiduciam certò concipere, quæ anxietate & metu

Rursus flagitio-

sa sua metaphora depravat scripturam.

EVM liberet, ac si dixisset, paratum sibi semper fore exitum è sepulcro, ne in corruptione maneret. Nam DEVS suos ab aliquo discrimine liberans, non nisi ad breve tempus vitam illis prorogat. Quantula verò & quam ieiuna consolatio hæc esset, paulisper respirare, donec mors tandem sine spe salutis nos absorbeat? Hinc sequitur, DAVIDEM fuisse ita locutum, eò quòd SE extolleret supra communem generis humani sortem. *Hæc ille.*

Vides, quàm tortuoso reflexu & serpentinis gyris hic Spiritus tenebrarum sese torqueat, ne plenam hanc laudem Christo concedere cogatur, de ipso hunc Psalmum esse conscriptum. Maluit ergo trahere ad Davidem, reclamantibus Petro & Paulo, & argumento insuper inexpugnabili commonstrantibus, Davidem nihil ibi de se, sed in solidum de Christo, eiusq; resurrectione disseruisse.

Vides

Vides etiam, quomodo vocem sepulcri torqueat, eamq; pro more suo metaphoricè capiat, quam Apostoli in nativo significatu, de sepulcro Christi propriè sic dicto accipiendam monent.

Vides audacissimè contendentem, verbis istis (Non relinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem) non de certa aliqua specie liberationis restrictè agi: At Paulus & Petrus dicunt, agi restrictissimè non modo de certa quadam speciali, sed planè specialissima liberatione Messiæ ex sepulcro & à corruptione.

Postquam ergò Calvinus omne robur infregit prædictionis Davidicæ, ut & Concionum Apostolicarum, quæ ipsa vaticinij litera nituntur; tandem aliquid attexit de Apostolorum allegatis, sed nervo iam inciso, dicens: Quod autem Petrus Act. 2. v.30. & Paulus 13. v. 33. IN SOLA eius (Christi) persona impletum

Nota verbum, contendunt,

fuisse hoc vaticinium CONTENDVNT; sic accipe, ipsum à sepulcri corruptione fuisse prorsus & solidè exemtum, ut membra sua gradatim & pro cuiusque mensura in societatem suam vocet.

Non potest negare, Paulum & Petrum asserere, in SOLA Christi persona vaticinium adimpletum. Hoc si ita est, cur igitur ipse in Davidis personam confert? cur metaphoricas expositiones audacter adeò confingit? cur Iudæis valvas & fenestras effugiorum aperit, ut vaticinio Prophetico ab uno simplici sensu, quem Apostoli tenent, deturbato, & in plures sensus diviso, teneri iam una quadam certa, constanti & immota expositione non possint: si Calvinum sinamus præstigijs suis ludificari homines?

II. Vaticinium de Resurre-

Porrò gloriosam Domini resurrectionem unà cum eius fructu prænunciavit etiam Michæas cap. 2. Ascendet perruptor ante eos, & perrumpent, & gra-

& gradientur per Portam, & egredientur per eam, & ibit Rex eorum ante eos, & Dominus in principio eorum. ...ctiones Christi, Mich. 2.

Sensus simplicissimus est hic: Christus perrumpet per passionem, mortem, infernum, & sepulcrum, & cœlos penetrabit, & impetrabit fidelibus suis, ut virtute resurrectionis suæ perrumpant & ipsi, Domino præeunte illos, (ut qui in omnibus primatum tenet, adeoq; primitiæ ex mortuis nominatur) ipsis verò vestigia huius sui præcursoris atq; Ducis per mortem & sepulcrum in vitam æternam usq; subsequentibus.

Calvinus longè altiores habet meditationes, quàm ut hæc ei piscatoriæ probetur simplicitas. Itaque ad istum versiculum, ut & immediatè præcedentem, sic magistraliter annotat: Maiòr pars interpretum huc inclinat, quod DEVS hîc promittat levationem aliquam Israëlitis, postquam duriter eòs obiurgaverat, & minatus

etiam fuerat extrema. Referunt igitur hunc locum ad regnum Christi, quasi DEVS ſpem faciat futuræ reſtitutionis. Sed dum omnia propius expendo, cogor potius interpretari etiam duos iſtos verſus comminatoriè, quod ſcilicet Propheta hic denunciet futuram DEI vindictam populo.

Dehinc ſeorſim præſentem hunc verſiculum ita macerat Aſcendet effractor coram ipſis, hoc eſt, ducentur tumultuariè, & frangenda etiam erit porta, ut ſimul exeant, quia non eſſet ſatis amplus tranſitus ille, ſi vellent ordine egredi, quemadmodum fieri ſolet: ſed portæ urbium frangentur, ut turmatim tranſeant magno numero. His verbis ſignificat Propheta, celeriter omnes abripiendos eſſe in exilium. Et egredientur, inquit, per portam, & Rex ipſorum tranſibit coram ipſis. Significat hoc loco Propheta, Regem captivum fore, quod fuit

Regem præcedentem illos nominat.

fuit tristissimum spectaculum. Nam spes aliqua restabat, si tantum abducta fuisset fex populi in Chaldæam. Sed ubi Rex ipse vinctus trahitur & conijcitur in carcerem, oculis effossis, & iugulatis filijs, hoc est miserrimum. Solebant autem superbire Rege suo, quia putabant fieri non posse, quin regnum illud perpetuum maneret, quandoquidem DEVS sic pollicitus fuerat. Sed potuit DEVS ad tempus regnum illud evertere, ut postea de integro erigeret, quemadmodum contigit in persona Christi, & quemadmodum etiam prædictũ fuit à Prophetis: Transversa sit cidaris, transversa, transversa, donec veniat legitimus eius possessor. Videmus ergò hoc fuisse additum amplificandi caussa: quod exprimit Propheta de rege ipsorum. Postea addit: Iehova erit in capite eorum, id est, instabit eorum cervicibus, ut eos opprimat & obruat penitus. Quidam subaudiunt

Propheta Iehovam. Calvinus verò vocabulum Regis trahit crinibus ad captivum regem Sedechiam.

unt aliquid, quod olim Iehova solitus fuisset ipsos regere, nunc autem desierit. Sed illud est nimis coactum. Sensus autem, quem retuli, benè fluit, quod scilicet DEVS ipse erit exactor, cum trahentur in exilium & tyrannis atque eorum satellitibus addet animum, incumbens maledicto populo, ut eius calamitates magis ac magis urgeat & aggravet, sicque ostendat, istam cladem accidere iusto suo iudicio. Nunc ergo tenemus verum Prophetæ sensum.

Ita vides, optime Lector, quod Dominus ut beneficium promittit, id à Calvino explicari de pœna; quod ad captivitatem Babylonicam: quod de Rege Iehova perrumpente & præcedente suos Propheta memorat, torqueri ad impium & periurum Regem Sedechiam: sicque commentationes eius à mente Prophetæ, Ecclesiæque catholicæ sensu penitus abhorrere.

Nequaquam silentio prætereunda

est

est corruptela eius in depravãdo Oseæ vaticinio. Qui de fructu resurrectionis Christi capite sexto libri sui differens ita loquitur: Vivificabit nos post biduum, die tertio suscitabit nos, & vivemus in conspectu eius. Hîc videndum, ecquid afferat Calvinus. Ait:

III. Vaticinium de Resurrectione Christi Ose. 6.

Solet hic locus exponi de Christo, quòd post biduum & die tertio suscitabit DEVS Ecclesiam suam, quia scimus Christum non sibi privatim resurrexisse, sed suis membris. Est enim primitiæ resurgentium. Videtur ergo hic sensus non malè quadrare, quòd Propheta hic erigat fideles in spem salutis, quia DEVS excitabit filium suum primogenitum, cuius resurrectio communis erit totius Ecclesiæ vita. Sed sensus ille videtur MIHI nimium argutus. Et semper hoc spectandum est nobis, ne volitemus in aëre: placent argutæ speculationes primo intuitu, sed postea evanescunt. Ergò quisquis volet proficere in Scri-

At tu quæ maximè cupis in aëre volitare, teq́ argutis oblectare speculationibus.

pturis, semper hanc regulam teneat ut solidum sit, quicquid colligit sive in Prophetis sive in Apostolis.

Scilicet hic Doctor pro sua, quam in Calvinisticis Ecclesiis gerit, dictatura, regulas præscribit alijs, quas ipse ne minimo quidem attingit digito. Soliditatem exigit observari ab interpretibus: ipse verò primus est, qui quæ Apostolorum & Evangelistarum allegatione solidissimè fundari & ædificari poterant, ea strophis, lubricis suis, corruptelis & præstigijs infirmat, labefactat, diruit & evertit. Itaq; non omne solidum putandum est, quod Calvinus colligit, sive in Prophetis sive in Apostolis, multa in eius scriptis nugatoria, coacta, infirma, lubrica, inflexa, perplexa, intricata, peregrina à mente Spiritus sancti, ab Apostolorum explicatione dissona, nec reliquorum Doctorum Ecclesiæ (qui & ipsi DEI spiritum habent) approbata calculo sed nuper in Calvini fumoso cerebro concepta & nata.

Sed

Sed neque alterum Oseæ Prophetæ vaticinium reticendum fuerit, quod non minus atq; prius pro ingenio & spiritu suo corrumpit Calvinus. Oseas ostensurus salutarem fructum Resurrectionis Domini, hæc loquenti Christo verba attribuit: De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero, inferne. Quo dicto Paulus ipse beneficia Dominicæ resurrectionis comprahendi docet. 1.Cor. 15. scribens: cum autem corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, & mortale hoc induerit immortalitatem: tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoriam; ubi tuus, mors, aculeus? ubi tua, inferne, victoria?

IIII. Vaticinium de Resurrectione Christi. Ose. 13.

Si sermonem illum, quem Paulus ait scriptum esse, (nimirum in scriptura veteris Testamenti) quæramus apud Prophetas, tunc illud quidem (absorpta est mors in victoriam) deprahendimus extare Esa. 25. Ad hoc po-

sterius

sterius autem (ubi tuus, ô mors, aculeus, ubi tua, inferne, victoria?) nullus locus in scriptura Prophetica propiùs accedit, quam Oseæ verba. Vtrobiq́; fit mentio mortis & inferni, utrobiq́; meminit Spiritus sanctus liberationis à morte & inferno, utrobiq́; insultatur morti, insultatur inferno, & exterminium eis ceu triumphali cantico denunciatur. Itaq́; Paulum huc ad Oseæ locum allegatione sua respexisse tantisper affirmabimus, donec quis aliam scripturam ostenderit, in qua verbum seu encomium illud triumphale dilucidius descriptum extet. Omninò enim asserit Paulus: sermonem istum esse scriptum, puta in scriptura Veteris Testamenti.

Dici autem non potest, quàm virulenter exagitet, quam acerbè rideat Christianorum interpretationem Calvinus. Ait: Quod vertit quidam, Ero perditio tua ad mortem, ac si sermo fieret ad populum, insulsè totum locum

locum depravat, & utilissimam do= ctrinam nobis eripit. Quia autem PVTABANT multi Interpretes, hunc locum citari à Paulo, simul etiam exposuerunt de Christo, quicquid hîc dicitur, ac MVLTIS MODIS ERRARVNT. Primò dixerunt, DEVM hîc redemptionem promittere absque ulla conditione: Videmus autem longè diversum fuisse Prophetæ consilium. Postea sumserunt in persona Christi, De manu sepulcri redimam eos. Quanquam infernum etiam nimis ARGVTE putarunt vocari tormenta, quibus cruciantur reprobi, vel locum ipsum tormentis destinatum. Sed Propheta variis verbis idem repetit, & nota est satis illa phrasis Hebraica. Sepulcrum ergò hîc non differt à morte: quanquam Hieronymus hîc laborat & contendit, longè aliud esse sepulcrũ, quàm mortem; Sed illud totum est NVGATORIVM. Decepti igi-

tur fuerunt in iſtis vocibus. Deinde cùm dicit Propheta: Ero exciſio tua, inferne, (vel ſepulcrum) poſuerunt nomen Morſus, & allegoricè expoſuerunt, Chriſtum fuiſſe inſtar hami. Quemadmodum ergò vermis ſi hamo aptatur, cum voratur à piſce, eſt illi interitus, ita etiam Chriſtum dixerunt, cum depoſitus fuit in ſepulcrū, fuiſſe morſum lethiferum: quia ſicuti hamo capiuntur piſces, ita mors ineſcata fuerit morte Chriſti. Et ARGVTIÆ illæ magno plauſu āceptæ fuerunt, ideò in toto Papatu ſine controverſia hoc pro oraculo viget, quòd Chriſtus fuerit morſus mortis. Sed interea ſi quis propiùs Prophetæ verba expendat, videbit illos INSCITE ET TVRPITER abuſos fuiſſe Prophetæ teſtimonio. Atqui nobis ſummoperè ſtudendum eſt, ut maneat vera & certa Scripturæ intelligentia. Iam videndum eſt quid reſpondebimus, cum tamen VIDEATVR

TVR Paulus citare hunc locum. Solutio facilis est. Neque enim ex professo semper locos adducunt Apostoli, qui toto contextu ad institutum, quod tractant, pertineant: Sed interdum alludunt ad unum verbum duntaxat: aliquando aptant locum ad sententiam per similitudinem, aliquando adhibent testimonia. Vbi Apostoli utũtur Scripturæ testimonijs, illic quærenda est simplex & genuina veritas: ubi autem verbum unum duntaxat perstringunt, non est tam anxiè laborandum: ubi etiam per similitudinem designant aliquem Scripturæ locum, est illa etiam nimis scrupulosa anxietas, quærere quomodò singulæ partes conveniant. Atqui satis constat, Paulum illo 15. cap. 1. ad Corinth. non citasse Prophetæ testimonium ad confirmandam illam doctrinam, de qua differit. Quid igitur? Quia resurrectio carnis est valde difficilis creditu, imò abhorret prorsus à sensu na-

At tu, cum Apostoli Scripturæ testimonijs utuntur, & genuinum sensum enarrant, nihilominus reiectis ipsorum sacrosanctis expositionibus tuas obtrudis quisquilias, & prætoria potestate impe ras, quis sensus pro genuino habendus, quis secus.

turæ, ideò Paulus dicit, non mirum esse, si Christus venturus sit ad nos excitandos. Quare? Nam proprium DEI munus est, esse interitum mortis, & esse exitium sepulcri, ac si diceret. Etiamsi millies computruerint homines, DEVS tamen non amisit virtutem illam, quam prædicat, quòd scilicet sit excidium mortis & interitus sepulcri.

Hic concedit, Paulum citare Prophetam. Supra exagitavit interpretes, quod PVTARINT, hunc Prophetæ locum citari à Paulo.

Nimirùm agit Calvinus pro suô more, ut Interpretes alios superbissimè contemnat & ex alto sententias illorum aspernetur. Supponat verò ipse contrarias & perplexas, & in eludendis Novi Testamenti allegatis & explicationibus, miris utatur verborum involucris, haud aliter atq. serpens, convolvens sese, caput simul & caudam abdere solet. De Interpretibus ait, PVTASSE illos, hunc locum citari à Paulo. Postea concedit allegari quidem ab Apostolo Prophetæ verba, sed NON AD CONFIRMANDAM illam

illam doctrinam, de qua disserit, sed tantùm ut ostendat, DEVM non amisisse virtutem illam, quod sit excidium mortis & interitus sepulcri sed adhuc ea præditum esse. Quam bellè igitur sibi constat Censor? At Paulus in præmisso quidem ibi tractatu de potentia DEI disseruerat. Nunc verò carmen triumphale præscribit, & allegando testimonium Prophetæ speciatim quasi digitum intendit, quis sit ille, qui è manu mortis & inferni nos liberavit & victoriam præclaram hanc nobis peperit, nempè Iesus Christus. Ideò enim protinus addit: Gratia autem DEO, qui dedit nobis victoriam PER DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM. Sic Paulus ipse Christianorum sententiam comprobat, Calvini verò risum & sannas Apostolica severitate compescit.

Hunc igitur in modum quatuor vaticiniis de resurrectione Christi non aliter tractatis, ac si quis nucibus

ludat aut tesseris: quid quæso certitudinis ex scriptura Veteris Testamenti relinquetur huic articulo? Si quærat aliquis Iudæus, ubi in Prophetis sit prædicta illa Meßiæ ex mortuis resuscitatio, quam nos prædicamus evenisse in Christo? tum nec ad Psalmi 16. testimonium, quod primarium duxerunt Apostoli, patebit nobis perfugium, ut quod Calvinus ipse ad probandum inutile fecit, de Davide exponens, & sepulcri, vocem à genuino sensu per metaphoram deflectens. Sed nec in Micheæ vaticinio pedem figere licebit, ut nec in Oseæ Prophetæ dictis, siquidem ea nihil ad rem præsentem conferant, si proditorijs his elusionibus & plenis Iudaicæ perfidiæ nequitiæq; strophis aliquis in Ecclesia locus concedatur.

Vaticinia de Ascensu christi in cœlos.

Sequuntur iam dicta, quibus Ascensiōem Christi in cœlos prædixerunt olim sancti Prophetæ. Et quidem illustrißimum est, quod Psalmo 68. positum

tum Divus Paulus ex professo citat, indeq; arduum hoc caput fidei palàm astruit. Acclamat Messiæ Domino Propheta regius: Ascendisti in altum, captivam duxisti captivitatem, dona dedisti in hominibus. Paulus Apostolus hoc cùm allegat tum explanat scribens: Vnicuiq; nostrum data est gratia iuxta mensuram donationis Christi. Quapropter dicit: cum ascendisset in altum, captivam duxit captivitatem, & dona dedit hominibus. Cæterum illud ascendit, quid est, nisi quod etiam descenderat prius in infimas partes terræ? qui descendit, idem ille est, qui etiam ascendit supra omnes cœlos, ut impleret omnia. Habes & Prophetæ vaticinium, & Exegesin Pauli enarrantis de Christi glorioso in cœlos ascensu.

Quomodo verò hæc ex Psalmo 68 citata Calvinus suo maleferiato metaphoræ tropo debilitet, & proprium eorum sensum res sub Davide gestas

complecti putet; eum verò, quem Paulus sequitur, subtilius deflexum nominet, suprà satis est expositum. Est ergò iam corruptum horribiliter vaticinium de ascensu Christi in cælos primum, idq́ minimè insigne & illustre.

II. Vaticinium de Ascensu Christi in cœlos Zach. 14

De eodem ascensu Domini in cælos sic vaticinatus est Zacharias capite 14. Et stabunt pedes eius in die illa super montem Olivarum, qui est è regione Ierusalem ab Oriente, & scindetur mons Olivarum à dimidia parte sui, versus Orientem & Occidentem vallis magna valdè, & discedet dimidia pars montis ad Aquilonem, & dimidia pars eius ad meridiem,

Sententia maximè congrua est hæc: futurum, ut Christus ascensurus in cælos stet super montem Oliveti, & exinde mandata det Apostolis, egrediendi in orbem terrarum, ad prædicandum Evangelium omni creaturæ, atq́ hinc consecuturum, ut hoc mandato instructi Evangelium in quatuor

plagas

plagas mundi divulgent, & mons Oliveti, tanquam mons pacis, quasi fissus in omnes partes orbis secedat, & evadat in montem magnum Ecclesiæ DEI, inter cuius medium tamen vallis horrenda ijs ipsis in locis, unde mons Oliveti moveri cœperat, nempe in Iudæa, sese horrendum in modum aperiat, quam aversentur & fugiant omnes pij, qua reiectio Iudaicæ Synagogæ & Iudææ vastitas non ambiguè notatur.

Hanc expositionem Christianam congruentem textui, & rerum eventis exquisitissimè respondentem repudians Calvinus, pro supercilio suo scribit: SCIO hæc omnia allegoricè exponi, quòd scilicet Christus apparuit in monte Olivarum, cum ascendit in cœlos: deinde quòd divisus mons ille fuerit, ut esset permeabilis, & transirent Apostoli in diversas mundi plagas, ut ita expugnarent omnes gentes. Sed ARGVTIÆ istæ sicuti multis placent, ita ubi quis propiùs eas

Christianorum interpretum ...

dicta quæ Christum sapiunt, sunt Calvino argutiæ.

eas expendet, parùm firmæ sunt. EGO igitur simplicius accipio, quod dicit Propheta, nempe manum DEI fore satis conspicuam, ubi succurrere volet miseræ & afflictæ Ecclesiæ. Eodem etiam pertinet, quod dicit, Vallem magnam fore mediam, quia scindetur dimidia pars versus Aquilonem & dimidia pars versus Meridiem. Perinde est, ac si diceret, Ierosolymam quasi latuisse sub monte illo, ut esset obscurior, sed fore postea in excelso loco.

Quam obscura & contorta paraphrasis.

Et in præcedentibus sic conatus est referre sensum Prophetæ: Stabunt pedes super montem Olivarum. Noluit hic promittere miraculum, quale concipere possent imperiti ex litera; sicuti etiam ubi paulò post dicit; Mons ipse findetur & dimidia pars verget ad Orientem, dimidia altera ad Occasum. Hoc nunquàm contigit, ut scinderetur mons ille: Sed quoniam Propheta non poterat in gravis-

Nullam audis applicationem partium Prophetici dicti de quatuor plagis mundi, de valle magna inter media: sed tantùm generalia quædam verborum involucris tecta & intricata.

gravissimis tentationibus, quæ centies poterant opprimere pias animas, sine figuris extollere, quantum res poscebat, DEI potentiam, ideò sese accommodat, sicuti dixi, ad modulum carnis. Summa est, tam illustrem fore DEI potentiam in liberanda Ecclesia, ac si DEVS ipse visibili modo se ostenderet, & specularetur prælium ex montis cacumine, & mandaret etiam pro imperio, hoc vel illud fieri.

Habes igitur, pie Lector, depravatum dictum alterum, quod in veteris Testamenti scriptis Propheticis testimonium dicit de ascensu Christi in cœlos.

Reliquum est, ut ventilentur eæ corruptelæ, quibus torsit vaticinia Psalmorum de exaltatione Christi ad dextram DEI, & dominio omnium creaturarum quod ei tempore gloriosæ ascensionis in cœlos conferendum erat. Qua de re luculenter Propheta David

concio-

concionatur Psalmo 8. Cum enim præmisisset, quo pacto Christus exinanitionis suæ tempore infra angelos, (ut Epistola ad Hebræos asserit) diminuendus esset: mox subsecuturæ divinæ glorificationis notationem subiungit hanc: Gloria & honore coronasti eum: Constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius. Et hæc quidem non quenquam attinere alium, præter Christum, gravis autor est Apostolus Paulus 1. Corinth. 15. scribens: Oportet eum regnare, donec posuerit omnes inimicos sub pedes suos. Novissimus hostis aboletur mors. Nam OMNIA SVBIECIT SVB PEDES ILLIVS. Atqui cum dicat (David) quòd omnia subiecta sint: palàm est, excipiendum eum, qui subiecit illi omnia. Similiter Ephes. 1. Sedere fecit eum ad dextram suam in cælestibus, supra omnem principatum, ac potestatem, & virtutem, & dominium, & omne nomen,

men, quod nominatur, non solùm in hoc seculo, verùm etiam in futuro: & OMNIA SVBIECIT SVB PEDES ILLIVS. Denique Epistola ad Hebræos sic explicat Psalmum: Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. In hoc enim, quod ei subiecit omnia, nihil omisit illi non subiectum.

Videmus, hæc non obiter allegari ab Apostolis, sed consequentias etiam extrui ad stabiliendam divinissimam maiestatem Christi Hominis in dextra virtutis & gloriæ, quòd huic homini, qui paulò prius infra sortem angelorum deiectus ac diminutus fuerat, nunc collatum sit OMNIPOTENS dominium omnium creaturarum, data ei omni potestate in cœlo & in terra. Hæc divina Maiestas quia sudes est in oculis Diaboli, idcirco splendidissimum istum locum conatur atra & te-

tra fuligine per impietatis suæ satellites & administros denigrare. Calvinus certè, ut reliquos prætermittam, aliquam sanè Christi mentionem aspergit, sed nimis parcam & modicam, & quidem non ex professo, sed παρέργως, *occasione conciliandæ allegationis Paulinæ cum suo, quem ipse præconcepit, sensu. Sed neq; hoc sincerè facit, quando Psalmum totum, & hos speciatim versiculos de toto genere humano enarrat, & à proprio sensu, qui Davidis & Apostolorum est, sic deijcit, ut appareat, ipsum à Spiritu non lucis, sed erroris & tenebrarum in effingendis hisce strophis agitatum fuisse.*

Commentarius eius sic torquet versiculum: præfecisti eum super opera manuum tuarum: Iam ad secundum illud, quod nuper attigi, caput descendit: hinc scilicet constare, quanto amore complexus fuerit Deus HOMINES, & quanti eos fecerit, cum illis

illis dominium contulit rerum omnium. Nam cum ipse nulla re indigeat, in ILLORVM usus destinavit omnem cœli & terræ opulentiam. Rarus certè & incomparabilis honor, quòd mortalis homo vice DEI in mundo tanquam suo iure dominatur, & quocunque flectat oculos, videt nihil sibi ad beatam vitam deesse. Porrò quòd primæ ad Corinth. 15. d. 27. citatur hic locus, ubi de spirituali Christi regno agitur, si cui videtur AB HOC SENSV nimis remotum: in promptu est responsio, nempe GENERALE HOC ESSE, totum mundi ordinem ita esse compositum, ut HOMINVM fœlicitati serviat. Quomodo id uni Christo proprié conveniat, iam ostendi paulò ante. *Hactenus ille.*

Attende hîc, quisquis es, quantum putidissima Calvini glossa distet à mente sanctorum Apostolorum, qui haud dubiè Psalmū hunc rectius ac profundius

fundius intellexerunt, quàm si centum Calvini, totidemq́; Bezæ, vel etiam Paræi fumum omnem caliginosæ suæ intelligentiæ in unum conferant. Paulus igitur, ut & Autor Epistolæ ad Hebræos, intelligit allegatos ex Psalmo versiculos de SOLO Christo. Calvinus de toto humano genere. Apostoli, quæ de dominio & subiectione universorum Psalmus habet, referunt ad OMNIPOTENS illud dominium Christi, quo super omnes creaturas in solio dextræ maiestatis virtutisq́; Dei defungitur. Calvinus ad tale dominium refert, quale habuit ψιλὸς ἄνθρωπος ante lapsum in natura integra. Apostoli prædicant huiusmodi maiestatem & gloriam, quæ ex admiranda illa glorificatione Christi eiusq́; ad dexteram DEI exaltatione resultet. Calvinus eam, quæ ex creationis beneficio collata sit hominibus.

Quod autem addit: quomodo id VNI Christo PROPRIE conveniat

niat

niat &c. merus est fucus, quo legentium oculis glaucoma nititur obijcere, quasi ab interpretatione Paulina non recedat aut desciscat. Etenim si non fucatè scribit, VNI Christo PROPRIE hæc convenire; cur ergo non de uno & solo Christo exponit? cur proprium & genuinum redditurus sensum ad universum hominum genus hæc extendit? cur tàm propè nihil, tàm parcè & non nisi per occasionem allegationis Apostolicæ meminit Christi? cur gloriam & honorem, quo coronatus dicitur filius ille hominis, interpretatur de generis humani præstantia? cur eiusmodi dominatum à Davide notari somniat, qualis olim Adamo concessus fuit? cum quidem Apostoli talem omninò designent, quem Christus solus in dextra Dei (sicut & solus eò exaltatus est) obtineat. Quis non ipsis palpet manibus, Calvinum meris strophis, & præstigijs verborum data opera ludificari Ecclesiam? Omittamus igitur

M eum,

eum, quippè cæcum & cæcorum ducem.

Caterùm ut colophonem addam, Psalmum 110. *incipientem ab his: Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis &c. negare non potest, decantare Christi in cælos ascendentis maiestatem & gloriam. Ideoq; fatetur, præcipuè versiculum quartum (iuravit Dominus & non pœnitebit eum, Tu es sacerdos &c.)* satis evincere, non de alio quopiam haberi sermonem, quam de Christo.

Interim illa libido corrumpendi scripturas sic medullitùs insedit ei, sic velut in naturam eius abijt, ut cohibere se nequeat, quin versiculo de gloriosissima Domini nostri Iesu Christi sessione ad dextram DEI, Iudaicæ corruptelæ fuliginem aspergat. Ita verò circa ea verba (Sede à dextris meis) nugatur Calvinus: posset aliquatenus Davidis personæ congruere, quod hîc dicitur: quia neque teme-

re

re solium ipse conscendit, neq; illuc penetravit malis artibus: neque evectus fuit stultis suffragijs, sed DEI mandato regnavit. Imò de cunctis mundi Regibus meritò dici posset, divinitus locatos esse in suo solio: quia cœlesti decreto distincti sunt mundi ordines, nec est potestas, nisi à DEO. *Interim tamen Davidi hac de causa magis ostendit hæc competere*, quia *(inquit Calvinus)* cœteris Regibus desit sacra Maiestas, qua excelluerit David, ut esset unigeniti filij DEI imago. *Et paucis interiectis*: David autem, qui sibi probè conscius erat divinæ electionis, seq; modestè continuerat in privato gradu, donec voce Dei regnare iussus esset, non abs re à communi grege se eximit, ac si diceret, DEVM sibi esse regnandi autorem.

Hoc ergo sensu ille Magister Israelis autumat posse aliquatenus Davidis personæ congruere, quod hîc di-

citur: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. At Epistola ad Hebræos enunciat; nulli Angelorum hæc congruere, nedum Davidi: cui dixit unquam Angelorum: sede à dextris meis? Et si personæ Davidis aliquatenus aptari potest sermo ille, quomodo Deitas Messiæ firmiter hinc demonstrari poterit? ut quidem Christus hoc versiculo Pharisæos sic urget, ut non suppeteret quod responderent? Si astitisset Pharisæis Calvinus, suggerere potuisset responsum, illud de ipsomet Davide posse intelligi. Atqui hac ratione prodidisset se Pharisæis ipsis amentiorem. Certum est, Davidem ex afflatu Spiritus sancti esse Psalmi huius autorem, ipso etiam Christo asserente. David ergo non sibi, sed DOMINO suo dictum esse ait, à Domino: sede à dextris meis. Num verò fingemus Davidem sic ineptientem: Dixit Dominus Domino meo, id est, mihi Davidi? Num ergo David sui ipsius

Domi-

Dominus est? Interpres verò est horum Christus, extra controversiam irrefragabilis, Davidem in Spiritu de Christo, suo & filio & Domino, hæc effari.

Cum ergò iam insignis hic versiculus, Deitatem Christi, eiusq; secundum carnem maiestatem potentissimè confirmans, stropha hac debilior est redditus, & Iudæis modus eludendi ceu digito monstratus: tunc demùm velut ex sopore Iudaicæ temulentiæ paulùm evigilans, atque nihilominus illam adhuc eructans, ad Christum applicat, quæ prius Rabinorum in modum Davidi accommodarat, in hæc erumpens verba: Cæterùm ne Davidi quidem posse hæc OMNI EX PARTE aptari, patet ex Christi responso, quod Matthæi capite 22. v. 44. legitur.

Imò Calvine, neque Psalmus totus, neque singulatim hic versiculus, in Davidem sive ex parte sive ex toto

quadrat; sed unicè in Christum Dominum. Nec diffitebitur hoc ullus Christianus, nisi qui poculo soporis, erroris, stuporis, & furoris Iudaici ad nauseam & vomitum usque sit inebriatus & dementatus. Tantæ enim res compræhensæ extant Psalmo isto, quæ nulli creaturæ (præter eam solam, quæ cum unigenito λόγῳ personaliter unita est) citra manifestum Idololatriæ crimen adscribi possunt: videlicet sedere à dextris DEI; & ex illo throno dextræ DEI dominari in medio inimicorum. Esse sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedec, & quæ ibi sequuntur singula & universa.

Quapropter ut receptui canam, detectum satis superq; indico angelum illum tenebrarum, Iohannem Calvinum, qui ex abyssi puteo emergens, partim detestabili hac & insanâ libidine torquendi scripturas, & propugnacula Christianæ Religionis adversus

fus infideles Iudæos & Arianos diruendi; partim impio in sacrosanctam maiestatem exaltati Iesu Nazareni calamo, partim etiam perverso dogmate de re tota Sacramentaria, denique horribilibus suis de absoluta prædestinatione portentis & paradoxis, non minimam Solis partem, ut Apocalypsis loquitur, his novißimis temporibus obscuravit: trahens magnum stellarum numerum, & unâ secum in abyssum præcipitem agens.

Aeternus Deus clementer obsignet suos, ne & ipsi pestifera hac seductionis Calvinianæ plaga corripiantur, seductos porrò ad pastorem animarum Iesum Christum convertat, ne in errore pereant, sed unâ cum omnibus fidelibus Deum verè diligentibus æternùm salventur, Amen.

Hæc de Calvini strophis nefariis monere Dei Ecclesiam volui, adductus ad laborem hunc suscipiendum Præfatione Doctoris Davidis Parei,

ut adversus ipsius iniustam criminationem publicè probatum redderem, me in præfatione mea præfixa libello de Trinitate longè minus etiam de Calvino dixisse, quàm dicendum fuerat, multoq́ tetriores esse eius corruptelas, quàm ut ullam excusationem admittant.

Si respondere volet Paræus: admonitum volo, ne se suo defunctum officio arbitretur, si in genere aliquid contrà obganniat, aut nobis veterem illam Calvinistarum cantilenam occinnat, neminem doctrinam Ecclesiæ de adorando sacrosanctæ Trinitatis mysterio, deq́ æterna Christi Deitate contra fanaticos doctiùs & fortiùs hoc ipso viro (Calvino) asseruisse. Exolevit hic sermo: & pridem innotuit Ecclesiæ Dei effrenis iactantia, qua vestrorum quidem hominum dicta non aliter ac de cœlo delapsa oracula suspicitis & cernui veneramini: cæterorum autem, qui vobiscum non senti-

sentiunt, labores adunco naso suspenditis.

Facessat etiam illa gloriatio de Serveto, Gentili, & scelerum socijs, Alciato, Blandrata &c. acriter à Calvino repreßis. Pridem enim & hoc inclaruit in orbe Christiano, quibus ex Scholis & Ecclesiis ipsa illa immania portenta prodierint. Nec obscurum est, hoc genus eludendi scripturas, quo Calvinus utitur, esse Diabolo exoptatum adminiculum, unius post alterum testimonij firmitatem in cordibus hominum concutiendi, donec ad constitutam Arianæ hæreseos metam illos etiam nil tale cogitantes perducat.

An infirma sint veterum argumenta contra hæreticos, ut Calvinus, & hunc secutus Paræus somniat, cunctis quibus vel mica sani iudicij superest, æstimandum committo. Valeat etiam procul ille Calvini delectus sine omni iudicio institutus, quo ex ambitione mera sexagenarios de ponte

te deÿcit, interpretum Christianorum sancta meditata respuit, ut suis ipse placitis regnum in Ecclesia possideat. Etenim si tu, Paræe, dixeris, Calvinum meritò reprehendisse veterum interpretum explicationes super locum Genes. 19. Pluit Iehova à Iehova &c. super Psalmi secundi versum: Filius meus es tu, ego hodie genui te: super versum Psalmi 33. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis exercitus eorum: super verba Christi: Ego & Pater unum sumus Iohan. 10. & si hoc postremum de unitate consensus non essentiæ, Magistrum tuum Iohannem Calvinum imitatus, intelligendum esse pronunciaveris: dicam ego, te scientem, volentem contra sempiternæ veritatis stimulum calcitrare malle, quàm DEO gloriam, ostensæq; veritati palmam concedere. Sin verò diffiteri non potes, rectè hæc testimonia contra Arianos ab orthodoxis Patribus esse usurpata,

quid

quid ergo (malum) de delectu, nescio quo, quem Calvinus adhibendum duxerit, à Patribus verò is minus sit observatus, nugacissimè concionaris?

Quod etiam obvertis, non numero argumentorum contra hæreticos esse pugnandum: iam dissolutum est, & ostensum, quæ Calvinus infirma esse præcipit, esse solida & invicta. Neque sine caussa Spiritus sanctus unum idemq́ toties in scriptura repetit, nimirum, ut & pondere & numero testimoniorum in sancienda fide articulorum salutis confirmet animos nostros, & vicissim hostes verbi sui, non tam pondere & gravitate, quàm multitudine atque numero consentientium dictorum Scripturæ confundat & obruat. Siquidem ipsa quoque multitudo testimoniorum Spiritus sancti, & unius eiusdemq́ rei frequens iteratio mirificè nos in fide confirmat, iuxta Paulinum illud Philip. 3. eadem

scribere vobis me quidem haud piget, vobis autem tutum est.

Quodq; Calvinus contra hæreticos illos pugnavit, non negatur ea parte fecisse rectè. Quanquam certè δειλῇ sua ansam præbens Diabolo, ut ex ipsius Scholis emergerent Antitrinitarij numero non pauci: quid ferè aliud fecisse putandum est, quàm qui alios substernentes ignem ædificio adiuvant, & ubi paulò post fervet incendium, & sævit flamma, diligentem ipsi quoq; præstant in eo restinguendo operam.

Quod attexit Paræus, cùm Spiritus Prophetarum subiectus sit Prophetis, scripsisse Calvinum, non præscripsisse Ecclesiæ interpretationes & sententias suas: ne hoc quidem verum dicit. Obsecro enim te, num hoc est Prophetis esse subiectum, si quis non tantùm Christianos Scriptores Veteres & Neotericos tàm carpat odiosè, tàm acerbè subsannet & irrideat, eosq; his ornet

net emblematis, quòd ſine cauſſa tumultuentur, acrius exagitando Iudæos, quod argutè Philoſophentur, afferant argutias, abutantur locis Scripturæ, in alienum ſenſum ea torqueant, idq́; nimis violenter, volitent in aëre, & tales afferant interpretationes, quæ meritò rideantur à Iudæis: ſed inſuper ab Evangeliſtarum & Apoſtolorum explicatione manifeſtè recedat, eisq́; hanc notam palàm impingat, quòd dicta Prophetarum ſubtilius ad Chriſtum deflectant, imò quod ad ſuum inſtitutum deflectant id, quod in ſcriptis Prophetarum ALIO SENSV dictum fuerat, quòd videantur ſcripturam intempeſtivè ad cauſam ſuam TRAHERE, quodq́; negligendo figuras, quas Calvinus uſurpatas ſomniat, à nativo ſenſu Prophetarum diſcedant. Hoc certè non eſt Prophetis ſubÿci, ſed in ipſos Apoſtolos & Evangeliſtas ſibi virgulam cenſoriam vendicare ſuperbiſſimè.

Vt

Vt autem liquidò constet, Paree, ad quid respondendum tibi sit, si respondere voles; scias velim, me in his, quæ allegata ex libris eius sunt, non indifferenter totum semper contextum reijcere, sed ea duntaxat, quæ in notationibus meis, vel præmissis, vel subiunctis, falsa & erronea esse commonstrantur. Quemadmodum neq; omnem vel metaphoræ vel reliquorum troporum usum reprobo, sed duntaxat petulantiam istam, qua, quæ propriè dicta sunt à Prophetis, etiam Apostolis id testantibus, nihilominus metaphoricè vel tropicè Calvinus exponit sacrosancta oracula de Christo per lusum istum aleatorium ad Iudaicas glossas inflectens, quod exemplis aliquàm multis est ad oculum demonstratum.

Maturius respondissem Pareo, si Præfatio eius citius in meas pervenisset manus. Verùm ut in Proverbio est, sat citò si sat benè. Respondebit etiam,

Deo

Deo dante, clarissimus Theologus D. Samuel Huberus, quem Paraeus effronti & immani audacia per notorias & in luce expositas calumnias coram orbe Christiano deformare conatus est. Dominus Iesus Satanam sub pedes nostros conterat citò, & à luce Calvinistica clementer liberet Ecclesiam suam, Amen.

FINIS.

